runt in Eccleſia.

men vulgo Epiſcopali tribuebatur dignitati, & nonnunquam etiam Chriſtianæ Religioni profeſſioni deferebatur, in qua omnes ad ſanctitatem evocabantur. Hoc in ſenſu non Epiſcopi tantum, & Sacerdotes, ſed complures etiam ſexus utriuſque hoc nomine pluribus ſæculis appellati ſunt, quin ſchiſma, vel hæreſis, quibus erant quandoque impliciti, dum viverent, hoc illis auferret. Plures adhuc poſt obitum illud retinuerunt, quod ſæpe fefellit ſimplicitatem, vel affectum populorum, qui decreverunt illis honores cultus religioſi, decepti æquivocatione tituli, quin rem intus, & in cute cognoſcerent. Æquivoci hujus gratia videntur in martyrologium obrepſiſſe nomina Euſebii Cæſarienſis in Paleſtina, qui Arianiſmo ſuffragatus eſt, aliorumque complurium, quorum doctrina, & mores etiam fortaſſe non erant ab omni reprehenſione vacui. *Ex pluribus Auctoribus.*

Media quibus uſi ſunt, ut multiplicarent Sanctos quorū aliqui nonniſi in populorum opinione tales erant.

Alia quoque excogitata ſunt adminicula in augendo Sanctorum numero, quæ non minus in Eccleſiæ ſuſpicionem inciderunt. Facilitas illos recipiendi eo creſcebat magis, quo vera ſanctitas decreſcebat, ita ut fidem aſtrueret, ut Cæli jacturæ reparari viderentur, acceſſione novorum Sanctorum, quorum nonnulli fortaſſe penes unicam hominum exiſtimationem pro talibus habebantur. Hoc præcipue viſum eſt ſub duplici prima Regum noſtrorum Sobole, qua rerum ſummam obtinente dicere poſſumus ſanctitatis pretium viluiſſe. Integræ, ſatiſque frequentes, videbantur familiæ ex Sanctis conflatæ, quorum ſinguli aliquando cultum religioſum ſeorſim erant habituri. Cœptum eſt admitti non ſolum ſimplices Neophitis quamvis adultos, ſed etiam pueros infra rationis uſum; videlicet Sanctos ſine cooperatione, qui nihil ſuorum meritorum Jeſu Chriſti meritis admiſcuerant; Sanctos, qui fortaſſe majorem conſtituunt numerum Beatorum in Cælo: qui tamen illi non ſunt, quos ſibi proponit Eccleſia tanquam objecta cultus filiorum ſuorum, niſi paſſi fuerint pro Jeſu Chriſti cauſa, quemadmodum Sancti Innocentes Bethleemitæ, quemadmodum S. Cyrus S. Julitæ filius primus martyr, aliique nonnulli, & quemadmodum non pauci infantes ſæculis poſterioribus a Judæis trucidati tempore Paſchatis eorum, propter odium, quo Jeſum Chriſtum perſequebantur. Ambitio quoque & naturalis affectio adnumerabantur cauſſis hujus multitudinis Sanctorum; impendebatur nonnunquam aurum, vel exiſtimatio familiarum, ut in hoc albo recenſeretur conſanguineus, amicus, affinis, concivis, & arbitrabantur ſibimet hoc pacto coram hominibus gloriam comparare, & patrocinium apud Deum. Satis erat aliquando quadam obiiſſe die, puta in Paraſceve, vel alia id genus, ut in populorum opinione aliquis ſanctus eſſet, illi ponerentur aræ, cerei, & oblationes ad tumulum afferrentur. *Ex iiſdem.*

Eccleſia recentes conſtituit canonizationis regulas, ut mederetur malis omnibus, quæ prioribus ſæculis committebantur.

Eccleſia ut medelam afferret malis, quæ prioribus ſæculis percrebuerant, novas conſtituit regulas pro canonizatione Sanctorum, in quibus formæ juridicæ præſcribuntur aptæ ad avertendos dolos, & pravas artes, & calumnias eorum, quorum erat ad examen vocare titulos ſanctitatis a populis oblitos. Ipſum canonizationis vocabulum nonniſi ſero invectum fuit ad ineundam authenticam receptionem Beati in catalogum Sanctorum, quos cultu publico dignatur Eccleſia; nec liquet, illum ante duodecimum ſæculum in uſu poſitum fuiſſe. Sed ſub finem decimi cœptum eſt uti formulis canonizationis regularis; quod factum eſt eodem tempore, quo inceperunt Epiſcopi ad Sanctæ Sedis auctoritatem confugere, ut Summos Pontifices inducerent ad extendendum in Eccleſiam univerſam cultum Sancti, quem proponebant, & qui ut plurimum nonniſi in peculiari Diœceſi colebatur. Itaque diſtingui poſſunt tres ætates, ſecundum varios modos canonizandi Sanctos in Eccleſia. Prima, quæ obtinuit ab ipſa inſtitutione cultus religioſi martyrum uſque ad ſæculum decimum; altera uſque ad Alexandrum III. qui Petri ſolium aſcendit anno 1159. & poſtrema ab hoc Pontifice ad hæc uſque tempora. *Ex pluribus Auctoribus.*

Decretum Joannis XV. de canonizatione Sācti alicujus vetuſtiſſimū eſt, quod noverimus.

Vetuſtiſſimum, quod noverimus ſollemnis Canonizationis decretum a Summis Pontificibus factæ, ad alienigenarum preces, Bulla eſt, quam Joannes XV. edidit anno 995. adnitente Liutolfo Epiſcopo Auguſtano in Germania, ut in Sanctorum catalogo S. Ulricus adſcriberetur. Coegit Summus Pontifex in Lateranenſibus ædibus Concilium Epiſcoporum, Sacerdotum, Diaconorum, aliorumque Romani Cleri Eccleſiaſticorum ad Epiſcopi propoſitiones audiendas. Præſul hic juſſit legi librum de vita, & miraculis Sancti in cœtu univerſo, & ſecundum Epiſcoporum ſanctiones Pontifex conſecravit memoriam S. Ulrici Epiſcopi Auguſtani per cultum divinum, videlicet per generalem canonizationem, quæ locum erat habitura in Eccleſia univerſa, vel ſaltem in tota Gallia ſimul, & Germania; videtur enim Sanctus hic jam honorem hunc obtinuiſſe in Eccleſia Auguſtana per auctoritatem Epiſcoporum ejus loci. *Ex pluribus Auctoribus.*

Summi Pontifices intellexerunt neceſſitatē pertractādi in Generali Concilio de Canonizatione Sanctorum.

Romani Pontifices duodecimo tandem ſæculo intellexerunt, Canonizationem Sanctorum, quæ percrebreſcebat, negotium eſſe in generali Concilio pertractandum, & habendum eſſe inter graviſſima Eccleſiæ negotia. Non autem Concilium hoc Œcumenicum eſſe volebant; illud generale dumtaxat vocabant, ubi aderant Præſules ex variis ditionibus, vel Regnis, ibique per ſe præerant. Aliquamdiu poſt viſum eſt in Gallia exemplum inſigne Epiſcopalis Canonizationis, quin ulla habita fuerit mentio Pontificis. Fuit autem illa *S. Gautier* Abbatis S. Martini Pontiſaræ, quæ ſollemni pompa celebrata eſt per Archiepiſcopum Rothomagenſem, cui miniſtrarunt Epiſcopi Pariſienſis, & Silvanectenſis. Nec ſatis illis fuit corpus elevare, ejuſque tranſlationem recolere poſt annos ab obitu fere ſexaginta; ſed inſtituerunt etiam diem feſtum, & conceſſerunt Indulgentias admodum ſingulares iis, qui lypſana Sancti ejus inviſerent, & ad illius interceſſionem confugerent. *Ex iiſdem.*

Ritus canonizationis fit celeberrimus.

Plurima gradatim juridicis formis facta eſt acceſſio, non ſecus ac ritibus canonizationis ut ſemper redderetur auguſtior; atque varii conſcripti fuerunt tractatus, qui conſuli poſſunt. Putant nonnulli ritus hos conſtitutos fuiſſe circiter annum 1347. ſub Clemente VI. Ante hoc tempus cœptum fuerat fidelibus elargiri Indulgentias die hujus celebritatis. Unum ex prioribus exemplis, quod occurrat, illud eſt Honorii III. in Canonizatione Sancti Laurentii Dublinienſis peractæ anno 1226. in qua multos Indulgentiæ dies conceſſit. Gregorius IX. ejus ſucceſſor illas ad annum extendit, & ultra. Ita omnes, qui in Eccleſia apparuerunt, & mortui ſunt in Sanctitatis odore poſt decimum tertium præter propter ſæculum, cultu publico non decorabantur, niſi, canonizarentur, vel beatificarentur juridice a Sancta Sede, vel declararentur Sancti per Concilium œcumenicum, quod S. Roccho accidiſſe plures teſtantur. Illi autem excipiendi ſunt, qui recens inſerti ſunt in Romanum Martyrologium, poſt illius reformationem ſub Gregorio XIII. & Sixto V. peractam. Sed non fiunt amplius hujuſmodi inſcriptiones ſine aliquo Summi Pontificis Brevi, aut Decreto Sacræ Rituum Congregationis pro diei feſti inſtitutione, & officio. Hoc noſtro præſertim ævo innotuit, cum ageretur de S. Joanne de Matra, & S. Felice Valeſio, Ordinem quorum placuit immunem præſtare a ſumptibus Canonizationis, qui non ſine detrimento crumenæ Captivorum erogandi fuiſſent. *Idem.*

Quid fecerit Urbanus VIII. ut malis occurreret, quæ in Sanctorum Canonizatione emergere poterant.

Ut recentibus malis aditus intercluderetur, Urbanus Papa VIII. anno *1625.* decretum edidit, illudque inſtauravit anno 1634. prohibiturus ne quid in vulgus proferretur de virtutibus, vel miraculis eorum, qui Sancti habentur, ſine Ordinarii approbatione. Alterum quoque propoſuit 1631. ut interdiceret abſolutum *Sancti*, vel *Beati* titulum iis, qui nondum authentice probati fuerant Romanæ Eccleſiæ auctoritate. Ceterum ſicuti neque Sanctæ actiones ſine miraculis, neque miracula ſine ſanctis actionibus ſatis ſunt pro Beati alicujus Canonizatione, uti palam docet Gregorius Pontifex IX. non deſunt tamen occaſiones, ubi actiones Sanctæ, & miracula ſimul conjuncta efficere non potuerunt, ut in Sanctorum albo deſcriberentur illi, qui non ſatis repararunt ſcandalum ab iiſdem partum in Eccleſia, ſive criminibus ſuis, ſive ſcriptis. *Idem.*

Quid præcedere debeat Sancti Canonizationem?

Fortuito accidit, ſi quid magni momenti benevertit, niſi prius omnia, quæ erant præcavenda, ſumma cum diligentia fuerint proviſa; & hæc ſapienti conſilio præmeditatur Eccleſia, cum de Sancti alicujus canonizatione peragitur. Primum in quæſtionibus quas habet, antequam illum formiter talem eſſe declaret. Secundo in cæremoniis, & regulis præſcriptis in authentica declaratione quam facit, Sanctitatis illius, de quo inquiritur, atque de honore, qui illi deferri poteſt poſt ſollemnem hanc Canonizationem. Primum quod ſpectat ad quæſtiones, quæ præcedere debent authenticam declarationem de Sancti alicujus beatitudine, & Sanctitate en quid ſcriptum optimus auctor reliquerit. 1. Supremus aliquis Princeps, vel integra Natio, vel magiſtratus cum Populo urbis alicujus proponunt Summo Pontifici illum, quem in Sanctorum numerum ſtudent inferre; exponunt illi actiones pias, miracula, opera, per quæ de Deo, & Eccleſia benemeritus eſt. Hoc ſæpe faciendum eſt, & per plures menſes, & annos, ut per hanc moram, atque intervalla factorum veritas magis eluceſcat, & magis authentica fiat. 2. Poſtquam rumor, ac celebritas meritorum, ac miraculorum pii viri ſemper viguit, atque etiam percrebuit; preces obnixæ, ac humiles poſtulationes, quæ fiunt ad hanc obtinendam Canonizationem, reiterantur; atque tunc Papa in Conſiſtorio, quod ſecretum appellatur, proponere conſuevit nomen illius, de cujus Beatificatione agendum eſt; & eodem in Conſiſtorio præcipitur, ut quidquid allatum & adlegatum fuit de hominis ſanctitate, ſcriptis tradatur, illius Patria Provincia, atque Conditio, mox miraculorum catalogus, ac devotio, qua populi ejus memoriam colunt, ac demum quidquid conferre aliquid poteſt ad perfectiſſimam cognitionem meritorum, & ſanctitatis ejuſdem; & deinceps Epiſcopis, aut exploratæ probitatis Præſulibus provincia mandatur exactiſſimæ, ac fideliſſimæ perquiſitionis habendæ. 3. Si Epiſcopi, vel alii quibus hæc demandata fuerit provincia teſtati fuerint conſtare de hominis actibus; tunc Summus Pontifex Cardinalium ſententiam requirit, utrum ad perquiſitionem habendam peculiari mandato deligendi ſint homines delecti ex eodem conſiſtorio ſecreto. 4. Si ſtatutum fuerit deputare quoſdam ex eodem cœtu; de hoc explicita Bulla ſignificatur Epiſcopis, quibus præcipitur, ut cum legatis, de quibus dictum eſt, diligentiſſimam habeant quæſtionem; præſertim vero de operibus miſericordiæ, quæ Sanctus exercuit, de aliis actionibus humilitatis, atque patientiæ, & demum de miraculis; eiſque etiam atque etiam commendatur, ut hæc omnia prudenter, diligenter, fideliterque cognoſcant, juxta ea, quæ illis præſcribuntur in Bulla ad eoſdem miſſa: Omnia, & ſingula ad examen revocata, & mandata ſcriptis, concluſa, & annulo

eorum ſignata quam primum ad Summum Pontificem mittenda ſunt. 5. Hic ea tradit nonnullis Sacræ Rotæ Auditoribus, aliiſque viris prudentia, & conſummata experientia præſtantibus peculiari cura, atque attentione ad examen revocanda; quibus ſinguli ſuas adnectunt animadverſiones, atque ſententias. 6. Hæc omnia ita diſpoſita, ac in tabulas redacta poſtremo a Summo Pontifice, ſacroque Cardinalium collegio ſummo cum rigore excutiuntur; & exquiritur, utrum omnia ſatis accommodata videantur, ut declaretur legitima, & ſecundum omnes formulas canonizatio; & ſi Pontifex cenſuerit procedendum eſſe ad Canonizationem, hæc definitur, & declaratur. 7. Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Abbates, qui tunc Romæ ſunt, ad Conſiſtorium vocantur, quod publicum fit, in quo Summus Pontifex narrat, quid in tali negotio actum, tranſactumque fuerit, quin tamen prodat quid fuerit definitum, eorumque de hac re vota, ſenſuſque requirit. Die vero ad celebritatem hanc conſtituta, præparatur populus publico jejunio, ac ſollemni ſupplicatione, quæ cum congruis, aptiſque indumentis, ornatibuſque peragitur. Elata voce cantantur Litaniæ, aliæque preces, donec ventum fuerit illuc, ubi ſollemnitas eſt celebranda.

Deſcriptio eorum, quæ in hac fiunt cæremonia.

Hic locus eſſet ſingillatim deſcribendi ea, quæ in auguſta hac accidunt cæremonia, niſi ſatis hæc eſſet comperta, & explorata, ex narrationibus, quæ fieri conſueverunt quotieſcumque Sancti alicujus apotheoſis celebratur: ſed ne quid hac in re deſideretur, en quid afferat auctor idem, ex Auguſtiniana familia. Ubi perventum eſt ad locum in quo cæremonia hæc celebranda eſt; Summus Pontifex proſtratus ad Altare preces ingeminat, & obteſtatur aſtantes, ut conjunctis ſecum precibus a Deo peculiare ſubſidium implorent pro re tanti momenti, omnibuſque in genua proruentibus, Hymnus *Veni Creator* concinitur: quo abſoluto, Sanctus aſſurgit Pontifex, ac definitive pronunciat, illum, de quo agitur, Sanctorum catalogo eſſe inſcribendum, & declarat quotannis feſtum illius diem recolendum, Qua ſententia cum gravi majeſtate prolata, harmoniacis concentibus pſallitur *Te Deum*, & mox miſſa celebratur a ſummo Pontifice ea qua fieri poteſt celebritate in honorem Sancti, qua vix expleta, Principis Orator, vel Cardinalis, qui Oratoris vices obit, & alii, qui cæremoniam hanc procurarunt, humillimas gratiarum actiones ſummo Pontifici teſtantur, cum inter hæc undique ſonitus æris campani, bellicorum tormentorum ſtrepitus, tubarum, tympanorumque clangor exauditur, omniaque exultantis lætitiæ argumenta, quæ plebs gratulabunda excogitare poteſt, undique perſtrepunt. Nihil eſt reliquum niſi ut inſtituatur Bulla hujus Canonizationis, & Publici rogentur Notarii, ut quam citius in univerſum orbem illa mittatur ad totius Urbis, & Orbis Chriſtiani gaudium, & fidelium omnium venerationem. Bulla vero continet facultatem celebrandi miſſam de Sancto recens in album relato, illius officium recitandi, templa eidem dedicandi, Sacella, & altaria, eique adhibendi cultum omnem, qui Sanctis ejuſdem claſſis, & characteris adhiberi ſolet; utque fideles ad id magis excitentur, Papa magnas concedit Indulgentias iis, qui illum pie, ac devote invocaverint.

Declaratio Clem. XI. in Beatificatione Patris Joannis Frācisci Regis non ita pridem inter Sanctos relati, quæ pro ceteris eſſe poteſt exemplo.

Viros glorioſos, qui divites in virtute adepti ſunt gloriam in converſatione gentis, hoc eſt ſanctos, & electos Domini, quos clarioribus multiformis ſuæ gratiæ chariſmatibus exornavit divina dignatio, laudandos eſſe monet Spiritus Sanctus; decet ſiquidem eis, quos æternus judex immarceſcibilis gloriæ corona donat in Cælis, & quorum ſanctitatem ſequentibus ſignis teſtatam facit in terris, debitæ venerationis cultum etiam a Fidelibus exhiberi, ut ſapientiam ipſorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Eccleſia.

Hos inter cum longe, lateque refulſerit Dei ſervus Joannes Franciſcus Regis Sacerdos Profeſſus Societatis Jeſu, qui nimirum virtute indutus ex alto, portanſque jugum ab adoleſcentia ſua pœnitentiæ auſteritatem cum innocentiæ candore uſquequaque conjunxit: ac jugiter dilatante cor ejus Spiritu Sancto in omnibus exhibuit ſeipſum ſicut Dei miniſtrum in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in ſcientia, in ſuavitate: præcipue vero in caritate non ficta, qua in Deum, & in proximos mirabiliter æſtuavit; Apoſtolici muneris, quod nos viribus licet & meritis longe impares, gerere voluit Altiſſimus, ratio exigit, ut illius honorem, ac venerationem ad Omnipotentis Dei gloriam, Catholicæ Eccleſiæ decus, Chriſtianique populi ſpiritualem ædificationem, quantum nobis ex alto conceditur, promovere ſtudeamus.

Cum igitur mature, diligenterque diſcuſſis, atque perpenſis per congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacris Ritibus præpoſitorum proceſſibus rite ac recte confectis ſuper vitæ ſanctitate, & virtutibus heroicis, quibus idem ſervus Dei Joannes Franciſcus multipliciter claruiſſe, necnon miraculis, quæ ad ejus interceſſionem, & ad manifeſtandam hominibus illius ſanctitatem a Deo patrata fuiſſe afferebantur, eadem Congregatio coram nobis conſtituta, auditis etiam Conſultorum ſuffragiis, uno ſpiritu, unaque voce cenſuerit, poſſe, quandocumque nobis videretur, prædictum ſervum Dei Beatum declarari cum conſuetis indultis; hinc eſt, quod nos piis, & enixis quamplurium Venerabilium Fratrum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Regni Galliarum, & potiſſimum Provinciæ Occitaniæ, necnon dilectiſſimorum filiorum Magiſtratuum, Procerum, & populorum provinciæ hujuſmodi, ac totius inſuper Societatis Jeſu ſupradictæ ſupplicationibus (quas dudum etiam claræ memoriæ Ludovicus XIV. dum viveret, Francorum Rex Chriſtianiſſimus devotarum ſuarum precum acceſſione roboraverat) Nobis ſuper hoc humiliter porrectis paterna benignitate annuentes, de memoratorum Cardinalium conſilio pariter, & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus, ut idem Dei Servus Joannes Franciſcus Regis in poſterum Beati nomine nuncupetur, ejuſque corpus, & reliquiæ venerationi Fidelium (non tam in proceſſionibus circumferenda) exponantur: imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, & de eo recitetur officium, & miſſa celebretur de Confeſſore non Pontifice ſingulis annis juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani die XXIV. Maji, cum dies XXXI. Decembris, qua ipſe Servus Dei ſpiritum Creatori reddidit, & aliæ plures illam ſubſequentes, ut notum eſt, impeditæ reperiantur &c.

PRO COMMUNI APOSTOLORUM,

VIRORUMQUE APOSTOLICORUM.

M O N I T U M.

Quandoquidem S. Paulus in Ordine Sanctorum, quos elegit Deus, & ad miniſterium ſuum evocavit, primum locum Apoſtolis tribuit, qui in humanæ ſalutis opere illius Coadjutores fuerunt; æquum eſt, ut in ordine in hoc Supplemento a nobis ſervando ab iiſdem Apoſtolis ducamus initium, qui prima fuerunt Eccleſiæ fundamenta, & qui mox illam latius protulerunt lumina fidei ad barbaras uſque, ac remotiſſimas gentes longiſſime afferentes. Quapropter cum minime liceat, ut alibi dictum eſt, rerum copiam afferre pro ſingulis Apoſtolis, non ſecus ac pro viris Apoſtolicis, qui illorum veſtigia legerunt, exornandis, in communi verba faciemus cum de illis, qui primi fuerunt miniſtri Filii Dei, tum de aliis qui eodem acti zelo, eodemque ſpiritu animati labores ſuos contulerunt ad ſalutem proximi, ad Populorum converſionem, ad fidei tutamen, majoremque Domini gloriam perquirendam. Unde procul dubio fiet, ut enarrando labores, quos ſuſceperunt, quin eorum nomina memorentur, ſi cujuſpiam eorum elogium ſingillatim inſtituendum eſt, qui ad eadem munera, & officia vocati ſunt, quamvis ignoretur ſingularium Actionum elenchus, ſatis ſit oſtendere, illum non potuiſſe mereri nomen, ac titulum Apoſtoli, neque cum eodem felici eventu operari, in tali, vel tali regione, niſi exercuiſſet munia omnibus Apoſtolis communia, & niſi cum eodem zelo, atque conſtantia labores eoſdem fuiſſet ingreſſus.

PRO COMMUNI APOSTOLORUM,

& Apoſtolicorum Virorum.

Publica vita Sācti hujus Apoſtoli nō fuit minus auſtera, quā S. Joannis Baptiſtæ vita propter labores & facta.

SI vita publica Sancti Apoſtoli noſtri minus auſtera viſa eſt, quam S. Joannis Baptiſtæ, non minus moleſta fuit propter labores Apoſtolicæ vitæ inhærentes, propter juges curſus, quos obiit de civitatibus in civitates, de pagis, in pagos ſemper pedetentim, anni temporibus ſemper incommodis, per vias ſemper difficiles, horrentia deſerta, cum magis fuerit æſtus ad extremam uſque laſſitudinem, oſtiatim victum quæritans, & corpori ſuo nihil tribuens, niſi quod mera neceſſitas eidem negari vetat; hordeaceo victitans pane, & craſſiori uſus eſca, & nonnunquam iis, quæ ſunt neceſſaria deficiens; tandem nullum habens, quo ſecedat, locum, ut poſt exantlatos labores quieſcat. Ita ſe geſſit Apoſtolus hic toto vitæ ſuæ tempore; fingi enim poteſt imago vitæ magis moleſtæ, mortificatæ, & auſteræ? cum ille nullam unquam voluptatem, vel ſolatium permiſerit corpori ſuo, vel requiem animo qualibet refectione, licet ab omni

culpæ ſuſpicione remota? *Pater Nepveu in Solitudine juxta exemplum Domini Noſtri Jeſu Chriſti.*

Quantū Eccleſia Chriſtiana, & Chriſtiani omnes debeant Apoſtolis.

Scio, auditores, Apoſtolos omnes eſſe communes Chriſtifidelium parentes, qui ſanguine ſuo irrigarunt Eccleſiam, & morte ſua illam ubertate donarunt. Equidem ſcio laboribus eorum debere nos gratiam converſionis noſtræ, & ſpem noſtræ ſalutis; & niſi eorum ſermonibus, & ſcriptis eruditi fuiſſemus, futurum fuiſſe, ut ad hanc quoque diem erroris, atque peccati tenebris eſſemus ſepulti: *In omnem terram exivit ſonus eorum.* (*Pſalm.* 18.) Terrarum domitores ibi ignorantur, ubi coluntur Apoſtoli; & Petri, ac Joannis nomina nominibus Alexandri, Cæſariſque ſunt celebriora. Verum quoque ſcio inter glorioſos hoſce Evangelii præcones neminem eſse, cui plura debeamus, quam Sancto Paulo. Nam præterquam quod hic eſt Gentium Apoſtolus, electuſque a Deo fuit, ut nos de dæmonis tyrannide, & peccati jugo ſubduceret; ille etiam eſt prototypus Concionatorum, ſecundum cujus exemplum ii omnes conformandi ſunt, quibus Evangelii prædicandi honor confertur. *Pater Senault Oratorii, in Panegyricis Sanctorum Tomo* 2.

De Apoſtolorū nomine & miſſione.

Apoſtoli nomen ſignificat miſſum, & unum hoc nomen probat neceſſitatem, quod miſſus fuerit ad legitime obeundum Evangelicum miniſterium. Apoſtoli miſſi fuerunt a Jeſu Chriſto. Omnium ſæculorum decurſu hæc miſſio neceſſaria habita fuit. Illi tantum exiſtimati ſunt miniſtri Evangelici, qui miſſi fuerunt ab Apoſtolis, vel qui in eorum loco ſucceſſerunt. Apoſtoli omnes, quorum audiſtis oracula, a Jeſu Chriſto maximas obtinuerunt facultates. Nullus eſt, qui non aſſecutus fuerit poteſtatem patrandi miracula, & qui per admirabilia opera ſua non oſtenderit ſummam illius potentiam, in cujus nomine nuntiabat Evangelium. (*Marc.* 16. 17.) Omnibus in locis, quo Apoſtoli fidei lumen inferebant, qui credebant, in Jeſu Chriſti nomine dæmonia ejiciebant, linguis loquebantur novis, ſerpentes tollebant, & ſi quid mortiferum bibebant, nihil iis nocebat; ſuper ægros manus imponebant, & illi bene habebant. Hinc illa populi affluentia, innumeræ converſiones, Religio contra infeſtiſſimorum inimicorum conatus inſtituta, admirabilis Evangelii progreſſus, progreſſus, inquam, ex Sancti Auguſtini ſententia adeo mirificus, ut habendus eſſet tanquam miraculorum omnium maximum, niſi peractus fuiſſet per ea prodigia, quæ Apoſtoli omnibus in locis operabantur, ubi Jeſum Chriſtum prædicabant. *Lambert in anno Evangelico tomo* 7.

Apoſtoli magis inclaruerunt virtutibus ſuis, quam miraculis.

Quantumlibet inſignia fuerint miracula, quæ patraverunt Apoſtoli, illi tamen magis virtutibus ſuis inclaruerunt. Cur non meditamur ſæpe ea, quæ nos docet Eccleſia de eorum zelo, integritate, laboribus, fidelitate, ardentique caritate, ut nos præclaris id genus exemplis cieant, atque inflamment? Quæ patientia! quæ fortitudo! quæ conſtantia! nunquam cupidius aliquem in locum feruntur, quam illuc, ubi ſciunt, ſe graviſſimas paſſuros eſſe perſecutiones. Mors in ſingula momenta præſens illos non abſterret, immo eorum acuit fortitudinem, majoremque ſpem illis inducit. (*Actor.* 10.) Prædicant Jeſum Chriſtum tunc etiam temporis, quo carnifex brachium attollit, ſententiam a crudeli tyranno prolatam exequuturus. Quodnam prolixius martyrium, quodnam acerbius, & ad ſubeundum difficilius, quam illud, quo Sanctus noſter, quem colimus, vitæ ſuæ finem impoſuit? Tyranni, atque tortores nequicquam ſæviora excogitarent ſupplicia. (*Roman.* 8. 35.) Adverſa, perſecutiones, ferrum, vis, nunquam ſeparabunt ab amore Jeſu Chriſti eos, qui arcte adeo eidem adhærent. Inter tot mala victoriam referent ſemper per illum, a quo animantur. Ecce quinam fuerint illi, quos Jeſus Chriſtus elegit, & quos Apoſtolos appellavit. *Idem.*

Apoſtoli ſunt perfectæ, & conſummatæ ſanctitatis.

Apoſtoli ſunt homines prorſus ſpirituales, homines a mundo avulſi, homines, quæ ſua ſunt contemnentes, homines non ſancti ſolum, ſed etiam conſummatæ ſanctitatis, homines Deo pleni, ac ſemet vacui; verbo, homines perfecti, atque irreprehenſibiles. Non ſunt, Sanctus Chryſoſtomus inquit, aurum terræ informe, & impurum, quale terra gignit; ſed *aurum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.* (*Pſalm.* 11.) Ignis autem, quo probati ſunt, Sanctus Paulus addit, eſt ipſe Deus noſter, non amplius ut olim iratus, & ignem iracundiæ ſuæ in peccatorum caput jaculatus; ſed Spiritus Sanctus effundens large dona, gratiaſque ſuas, & igne amoris ſui emundans quidquid impurum, ac terrenum eſt in Electis ſuis: *Deus enim noſter ignis conſumens eſt.* (*Deuter.* 4.) *P. Bourdaloue Sermone in Pentecoſtes.*

Zelus Apoſtolorum, & prodigia quæ fecerūt.

Quocumque oculos circumfero, ibique video miracula zeli Apoſtolici, cæcos videre, ægros curari, mortuos reſurgere; hic populum ad Deum converti, & a Satanæ laqueis eximi, atque ut Biblicis verbis utar, in viis omnibus ſalutis veſtigia deprehendi: *In omnem terram exivit ſonus eorum.* (*Pſalm.* 58.) Zelus Apoſtolorum æque late patet, ac orbis univerſus; zelus eorum omnes infringit obices, & omnia contemnit pericula; zelus contra quem fœderatæ inferorum portæ nunquam prævaluerunt. Hujus zeli magnitudinem aſſecuturi, Auditores, ſcrutamini, ſi fieri poteſt, contradictiones, quæ Apoſtolis exhauriendæ fuerunt, vitæ ipſorum amaritudinem, laborum ſeriem, atque aſſiduitatem. Luſtrate ſpiritu immanes regiones illas, & maria immenſa, quæ ſummis cum periculis, laboribuſque pertranſierunt, æſtuantes zelo domus Dei, & ſalutis animarum. Nihil illos deterruit, non miſeria, neque paupertas. Pergunt annunciaturi Evangelium, tradituri barbaris nationibus veri Dei cognitionem, everſuri dæmonis imperium, illud Jeſu Chriſti in illius ruina ædificaturi. Meſſis quidem multa eſt, Domine, ſed habes operarios zelotes, laborioſos, indefeſſos. Vix Apoſtoli Spiritum Sanctum receperunt, cum jam incipiunt loqui, & prædicare: *Repleti ſunt Spiritu Sancto, & cœperunt loqui.* Hic primus eſt zeli eorum effectus. Sed quid loquuntur? Cujus partes ſe amplecti declarant? nempe Jeſu Chriſti, cujus ſe jam veluti legatos, militeſque ſtrenuos conſiderant, veluti fideles teſtes quos pudet, ſe nondum auſos fuiſſe illi perhibere teſtimonium, quod jam debebant perhibuiſſe; quos pœnitet ſe nondum cauſſam illius propugnandam ſuſcepiſſe, indignantes quod illum turpi deſertione dedecoraverint; & fugam infirmitate pleniſſimam arripuerint, inito conſilio ſcandalum hoc reparandi per confeſſionis ſuæ fervorem, ac vitæ ſumptus, quid agunt? Novo animati ſpiritu, qui mox in illos deſcendit, eoſque communivit, de Cœnaculo egreſſi, ubi delituerant, prodeunt palam in vicos, & plateas, ingrediuntur in Synagogas, ſeſe producunt coram Tribunalibus, Dei verbum prædicaturi. *Pater Bourdaloue ibidem.*

Apoſtolus inter perſecutiones probari debet.

Apoſtoli juxta illam imaginem, quam magnus nobis propoſuit Apoſtolus, homines erant, qui ſemet objiciebant omni generi contumeliarum, atque cruciatuum Evangelium annunciaturi. Nonnulli invidentes, ac dolo pleni Evangelium prædicabant, ut ſæviorem in Paulum conflarent perſecutionem, ejuſque captivitatem, & vincula efficerent duriora: ſed quid refert, ait ille, dummodo eorum improbitas, ac patientia mea in laboribus ſuſtinendis conferant, ut ubique agnoſcatur Jeſus Chriſtus? En quid ſentiendum ſit nobis pro conſiliis Dei, quorum ille nos facit inſtrumenta. Quandoquidem ut omnia benevertant ſuſtinendum eſt, hilariter ſuſtineamus: beati quod Deus ſuam cum noſtra cauſſa conjungit, & quod nos ita ad majorem ſui nominis gloriam exercens, propter eamdem nos conſolari, lacrimaſque noſtras detergere teneatur. *Fenelon Epiſcopus Cameracenſis in delectis ſermonibus.*

Apoſtolus præſto eſſe debet ad ſemet immolandum pro fratribus ſuis.

Prima diſpoſitio, quæ in Apoſtolis requiritur, hæc eſt, ut parati ſint ad vitam ſuam in ſingula momenta pro fratrum ſalute immolanda. Dixerat Jeſus Chriſtus, majorem caritatem habere neminem, niſi ut quis ponat animam ſuam pro amicis ſuis. Ex quo Apoſtoli ſeſe Jeſu Chriſti devoverunt, maximum eorum votum fuit hoc amoris ſui teſtimonium fratribus præbere. Omnes homines facti ſunt illorum amici: ſed amici dilecti, & optatiſſimi, pro quibus ſi vitam ſuam prodigere valeant, beatos ſe putant; præſertim cum agitur de iis, qui amantur, avellendis ab erroris ſemita, & adducendis in viam, quæ ducit ad Deum. Fingite vobis ergo æquam imaginem zeli Apoſtolici. Admiramini in illis ſtrenuos homines, qui nihil faciunt vias ſuas, & qui ſemper ſunt præſto, ut ſeſe immolent pro fratrum ſuorum ſalute. *Lambert.*

Apoſtolus vitam ducere debet irreprehenſibilem.

Noſtis, dicebat olim Senioribus Eccleſiæ Epheſinæ Apoſtolus, qui illos Miletum evocaverat; noſtis, quomodo ex prima die, qua in Aſiam ingreſſus ſum, vobiſcum vixerim Domino ſerviens. Ita loqui debent illi omnes, quibus animarum ſalus concredita fuit; omnium qui ad peccatorum converſionem operam locant, integritas, probitas, vita pura, mortificata, ædificans modeſtia, inſignis pietas debent in eorum gratiam conciliare mentes, & corda, necnon zeli ipſorum texere elogium. Verbi miniſtri prædicent actionibus ſuis; Concionatori ſemper cum fructu adhibebuntur aures. Dicere poſſumus audientium diſpoſitionem pendere ut plurimum a conceptu quem fovent prædicantis. Semper verbis eſt potens, qui potens eſt operibus. Exempla ſunt mutus ſermo, ſed omnibus eloquentiſſimis Oratoribus eloquentior. Væ iis, qui manu altera ædificant, & altera deſtruunt; væ illis, qui abnormem ducentes vitam, dedecorant doctrinæ, quam prædicant, veritatem. *Pater Croiſet in anno Chriſtiano.*

Prædicatores bonum tenentur præbere exemplum.

Apoſtolicus Prædicator magis perſuadet exemplis, quam argumentis; his ſemper reſponſum datur, illis non item. Exempla ſemper ſunt ſermonibus eloquentiora. Doctrina ſancta, quæ non innititur ſanctitati vitæ exemplaris, lucem habet mancam, & exanimem; opus eſt, ut Prædicatoris vivendi ratio mentes animoſque occupet in gratiam ſuæ morum diſciplinæ. J. C. incepit facere priuſquam inciperet prædicare. Vita mollis, vita mundana, & immortificata in Concionatore mirum in modum frangit, ac debilitat ejus eloquentiam. Nemo ſibi perſuadere poteſt ab eo credi eas, quas prædicet veritates, cum nihil eorum facit, quæ aliis facienda eſſe tradit. *Pater Croiſet ibidem.*

Viros Apoſtolicos non decet eſſe cupidos.

Cum pugnas pro fide, vel pro J. C. Doctrina contra licentiam, & errorem; unus pro Dei Domini tui gloria finis agat te. Cum minitatur Deus ſe impiam Babylonem everſurum, declarat, ſe miſſurum in eam milites, qui aurum, & argentum non requirent; qui ſine lucri ſpe decertabunt, quin aliquem impunem abire permittant. *Suſcitabo ſuper eos Medos, qui*

qui argumentum non quærant, nec aurum velint, ſed ſagittis parvulos interficient. (*Iſaiæ* 13.) Talis eſſe debet character miniſtri Evangelici. Irreconciliabilis erroris, & impietatis inimicus, apertum illis indicit bellum, ubicumque latere cognoſcit. Nulla res efficere poteſt, ut cauſſam prodat veritatis, vitium in ipſis propugnaculis ſuis perſequitur. Sed ad id quænam in ipſo integritas, quænam zeli puritas requirenda eſt? *P. Segneri in Medit.*

Viri Apoſtolici aliorum ſaluti invigilare coacti ſibimet ipſis etiam tenentur conſulere.

Donec Miniſtri Evangelici aliis communicant ea lumina, quæ Dominus ipſis comunicavit, dum ſuper tecta prædicant veritates, quas illis in auriculam inſuſurravit, præcipua eorum cura eſſe debet, ut ad unguem illas iidem exerceant. Quid re ipſa Evangelicis prodeſſet miniſtris J. C. omnes homines lucrari, ſi ipſi animæ ſuæ facerent detrimentum? S. Paulus ipſe licet donis cæleſtibus mirum in modum auctus eſſet, malum hoc formidabat, & omnes Apoſtolici viri ad exemplum illius numquam ſatis poſſunt reformidare: eorum enim interitus imminet, niſi virtutem habuerint tanti miniſterii periculis parem. Ut autem firmam hanc virtutem, quæ nullis incurſionibus labefactari valeat, adquirant, opus eſt, ut indeſinenter vacent orationi, ut ſedulos ſe præbeant iis, quæ ipſis tunc dicit Deus, & ut alte imprimant in mentibus ſuis veritatem quam meditantur. Tot ſacri Miniſtri ideo laxantur, & mox labuntur in vitium, quia orationis exercitationem negligunt, neque audiunt Deum, vel non ſatis accurate quod inde didicere, cuſtodiunt. Retinent ſibi ea tantum, quæ a ſe aliis dicenda ſunt & quidquid ad ipſos pertinet, eos fugit. Unum illud quærunt, ut aliis prædicent, ſibi vero nil dicunt. *Idem.*

Quinam eſſe debeant ſenſus Apoſtolicorum virorum de vocatione ſua juxta Moyſis exemplum.

En quid nobis referat Biblia de Moyſis vocatione. Deus vocat illum, eique aperit, ſe illum mittere velle ad Pharaonem, ut liberet populum ſuum. Quis ego ſum? Moyſes reſpondit, ut eam ad Pharaonem? Nonne hoc opus ſuperat vires meas ut hanc ſubire velim provinciam liberandi filios Iſrael? Primus fidelis famuli ſenſus! Semetipſum intuetur; ſuam agnoſcit indignitatem. Moyſi jus erat diffidendi de ſe. At nonne ſperandum erat illi, teſtante Deo ſe illi præſidium allaturum, ac ſe futurum cum illo? Non obſtupeſcitis? Poſt hanc promiſſionem Moyſes adhuc reſiſtit. Populus, inquit, mihi non habebit fidem. Non metuit Moyſes oſtendere Deo talenta ſua, quæ ſibi ſatis exilia videntur. Opus eſt, ut Deus illum dicto parere cogat, pluries imperet, minitetur, & irati ſpeciem præſeferat. Admirabile juſti hominis facinus, qui Deum timet, qui eidem inſerviendi ſummo flagrat deſiderio, ſed qui cognoſcit pondus ejus officii, quod ſibi a Deo demandatur. Moyſes ſumma officii fide omnia Dei exequitur imperia, omnes ſuperat obices; & quodcumque aggreditur, ei cedit e ſententia. Quorſum iſtud? Quia Dominus eſt cum illo, non ſecus ac ſemper erit cum omnibus illius imperata facientibus, & nihil aggredientibus, niſi conſulto Deo, ejuſque voluntate explorata. *In Sermone de vita Eccleſiaſtica D. Lambert, Tomo* 1.

Non duodecim Apoſtoli Jeſum ſed Jeſus duodecim elegit Apoſtolos.

Jeſus Chriſtus vocat diſcipulos ſuos, & ex illis elegit duodecim, quos Apoſtolos nominavit. Heu! ſi Apoſtoli ſeſe ultro obtuliſſent, niſi miſſi fuiſſent, irritus extitiſſet labor eorum, ac nullum inde fructum retuliſſent. Ita illis locutus eſt J. C. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* (*Jo.* 15. 16.) Fructum referebant Apoſtoli, quia ipſi delecti fuerant. Si Evangelium parvum efficit fructum, hoc accidit plerumque, quia prædicatur a miniſtris, quos Dominus non vocavit. Cum Dominus locutus ſit, inutile eſt ſervos inducere loquentes. Attamen ne ceſſemus audire Apoſtolos. Veritas adeo eſſentialis numquam ſatis ſolide confirmari poteſt. Apoſtoli cum zelo confirmaverunt veritatem, quam a Magiſtro didicerant. Numquid poteſt apertius oſtendi, quam a S. Paulo, neceſſitas vocationis? *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* (*Hebr.* 5. 4.) *Ex Sermone Lambert de Vita Eccleſiaſtica.*

S. hic Apoſtolus ea relinquit, quæ ſunt minus neceſſaria, ut ſibi vacet exercere prædicationis miniſterium.

Apoſtoli inſignem ſuarum prædicationum fructum intuiti, & peculiarem neceſſitatem aſſidue ſeſe in Sacro miniſterio exercendi, conſilium inierunt ſemet aliquibus minus neceſſariis officiis abdicandi, ut liberius vacarent iis, quæ magis neceſſaria videbantur. *Nos vero*, inquiunt Apoſtoli, *Orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Num dubitari poteſt, an Apoſtoli his duabus tantum rebus intenti, omnem in illis curam impenderent? Num aliquid ultra requiritur, ut rubore ſuffundantur, qui id negligunt, quod illi præcipuum ſibi munus eſſe putarunt? Talis extitit S. Apoſtoli noſtri character, ut nemo umquam viſus fuerit magis intentus prædicationis miniſterio. Sciebat nihil eſſe ad hominum ſalutem utilius, & huic preces addendas eſſe, quod ille magna cum pietate præſtitit, quæ in fidelibus omnibus devotionem ciebat. *Sermo de vita Eccleſiaſtica Lambert, Tomo* 2.

Cum Apoſtolatus præcipua eſſet in J. C. regno dignitas digne exerceri non poterat ſine pluribus heroicis qualitatibus.

Satis non erat, S. Noſtri fidem conjunctam eſſe cum ſublimi cognitione myſteriorum noſtrorum, qualis in iis requiritur, a quibus alii ſunt erudiendi. Oportebat etiam caritatis pretium eſſe munus ampliſſimum ejuſdem Caritatis, quale eſt Apoſtolatus. Hæc præcipua eſt Sacri Regni J. C. dignitas; ſed illa etiam eſt, quæ digne exercere non poterat, ſine quamplurium heroicarum qualitatum ſubſidio. Nam ut Apoſtoli digni eſſent, qui Eccleſiæ Patres, ac Principes haberentur, necnon terræ univerſæ magiſtri, quibus repletos eſſe virtutibus oportebat? Quæ in illis virtutes non requirebantur? Flagrabant illi zelo incomparabili pro gloria Dei ſui, & hominum ſalute: indefeſſus erat illis animus ad ſuperandas omnes difficultates tanti miniſterii: erat illis erga peccatores judicum ſeveritas, erga pœnitentes lenitas paterna, affectio ac miſeratio erga miſeros non otioſa, invicta patientia, ut exhaurirent omnes labores, contumelias, & cruciatus pro nomine J. C. Sed hæ virtutes omnes, aliæque plures, quas in Apoſtolis deprehendere poſſumus, licet variis nominibus appellentur, & ſua ſeorſim habeant officia, non aliud tamen ſunt, quam una Caritas. Apoſtoli abſolutam obtinuerunt poteſtatem in dæmones, & morbos; in fatis legere potuerunt remotiſſimos eventus; cordium omnium receſſus penetrare, & abditiſſima, æque ac obſcuriſſima myſteria cognoſcere: Sed nonniſi per Caritatem fuerunt Apoſtoli. Propter hanc terras traduxerunt & maria, naufragia paſſi ſunt, perſecutiones atque ſupplicia ſuſtinuerunt, ut ſuper excidio altarium fictis numinibus ſacrorum J. C. ſolium attollerent. Hæc illis robur addidit, ut univerſam Inferorum potentiam profligarent; ut dæmonum rabiem, ac dolos eluderent; ut Tyrannorum ſævitiam, falſam Sapientium hujus ſæculi prudentiam, Gentium idololatriam, vitia, pravoſque mores omnium populorum ſuperarent. Ejuſdem viribus, ubique gentium, ac tot adeo terribiles hoſtes ſubegerunt, adeo miraculoſas retulere victorias, & J. C. Regnum ad extremos uſque terrarum fines protulerunt. *Verjus in Panegyrico S. Matthæi.*

Præclara Apoſtolorū prærogativa.

Mihi videor paucis ſatis amplum Apoſtoli hujus noſtri Panegyricum exornare, ſi dixero illum fuiſſe unum ex inſignibus his totius Terrarum Orbis Domitoribus. Mihi videor in ſatis præclaram lucem gloriam ejus afferre, qui illum vobis oſtendero plenum caritate Apoſtolica, ubi primum vobis ob oculos poſuero in illius vocatione opus hoc præexcellentiſſimum quoniam eminenter complectitur virtutes omnes, & poſtquam Scriptura eum inter terræ Principes recenſuit, qui judicaturi ſunt omnes gentes, quas virtutes, & miracula eorum amabili Evangelii jugo ſubegerunt, nequeunt ita facile elogia alia ſubnecti, quæ infirma non ſint, & inutilia. Quid enim illuſtrius, & glorioſius eſt, quam eligi a Deo, ut ſis omnium ſecretorum ejus ſequeſter, ut ſis unum ex nitidiſſimis, primæque magnitudinis ſyderibus, quorum luce mundum univerſum cupit illuſtrare, ut ſis vas ſacrum Dei ſpiritu repletum, ut afferas in cor omnium mortalium divinum hunc ignem, poſtquam illum tanta cum effuſione recepit? Ille, de quo loquimur, ſingulares habuit pulcritudines luminum, quæ illius propriæ fuerunt, peculiares curſus, & motus, effectus, & influxus, qui quod non omnibus palam explorati, compertique fuerunt, non ideo tamen minus ſalubres, ac inſignes extiterunt. *Idem.*

Spiritus, & lenitatis, & humilitatis ſemper fuit ſpiritus Apoſtolorum virorumque Apoſtolicorum.

Volebat S. Paulus, Apoſtolos haberi tanquam miniſtros Dei, ac diſpenſatores myſteriorum illius; ſed fideles diſpenſatores, qui unum prædicarent J. C. non autem ſe ipſos; qui nollent homines adhærere ſibi, ſed J. C. cujus ſervi erant; & in quo eorum omnium erant ſervi, quibus Evangelium nuntiabant. Didicerant ſane mites eſſe ad exemplum illius a quo mittebantur tanquam agni in medium luporum, ut lupos in agnos converterent, illos oppugnando, ac per lenitatem, atque patientiam ſuam profligando. Apoſtoli nequaquam per ſe ad Apoſtolatum gradum ſibi fecerunt; Dei Filius elegit illos, & evocavit, dicit Evangelium. Omnia, ut illi, a Dei benedictione expectemus, & ſimus ex numero juſtorum illorum, ſuper quorum capita illam uberius profundere oblectatur. Opus non eſt, ut noſtri metum inimicis Dei vi miraculorum incutiamus; ſed oportet ut Deo quidem placere adnitamur per fidem, hominibus vero per lenitatem, & humilitatem cordis quam etiam atque etiam Salvator nobis commendavit. Ne noſmet attollamus: ſed digne repleamus locum, in quo Deus nos collocavit. Servemus præcepta, quæ tradidit nobis per primos illos Evangelii ſui præcones, eaque peramanter adimplere adnitamur. *Tourneaux in anno Chriſtiano. Tomo* 1.

Nequicquam Apoſtolorum triumphos celebramus, niſi vitā ducimus conformem eorum præceptis.

Cum feſtos Apoſtolorum dies celebramus, colimus primos illos J. C. legatos, qui nomen ejus cognoſcendum tradiderunt. Colimus cum Eccleſia greſſus Sanctorum Legatorum, qui nobis feliciſſimum liberationis, pacis, novique fœderis, quod pepigit cum nobis Deus, nuntium pertulerunt. Sed quid nobis proderit honor, quo Principis hujus noſtri Oratores excipimus, ſi nihil fecerimus eorum, quæ illi verbis ejuſdem præcipiunt? Quid proderit nobis hæc pax, hoc fœdus, quod nobis annuntiant, ſi quotidie infringimus utrumque eo vivendi genere, quod prorſus pacis Evangelio adverſatur? Lumen, quod reſpuerunt Judæi ad nos uſque pervenit; hoc nos deſeret non ſecus ac illos deſeruit, ſi per illud videntes viam, quæ ſequenda eſt, non ſequemur illam, ſi conſentientes veritatibus, quas docet, eas in praxim revocare negligemus. *Idem ibidem.*

Deus ad humanam ſuperbiam infringendā ſemper uſus eſt infirmiſſimis inſtrumentis ad majora ſua cōſilia exequenda.

Ut oſtenderet Deus, ea omnia, quæ divina Providentia ſua efficere dignata eſt, ſecundum divina, & ſecreta conſilia nullo pacto hominibus accepta eſſe referenda; & ut horum ſuperbiam infringeret, ſemper in præcellentiſſimis operibus uſus eſt inſtrumentis magis humilibus, atque contemptibilibus; ita primi Præcones Dominicæ nativitatis fuerunt paſtores, non ſecus ac primi Præcones Evangelii ſui piſcatores fuerunt. Magi Salvatorem erant viſuri, ſed ante illos hunc paſtores viderant. Piſcatores illum norunt, atque prædicant ante Philoſophos: volebat quippe Deus confundere humanæ ſapientiæ ſuperbiam, & oſtendere potentiam ſuam delectu eorum, quæ minima erant, ad maxima quæque operanda. *Idem ibidem.*

Vitā ducere Apoſtolicā eſt vitam ducere crucifixam.

Prædicare, uti decet Apoſtolum, eſt gemere coram Deo, jugem agere pœnitentiam pro illis, quos convertere ſtudes, & laboribus fatigari; violentiam, perſecutiones, & calumnias

nias pati, eſt ſibimet ipſi emori, ut vivas propter ſalutem populorum. Loquamur cum S. Paulo, eſt omne genus tribulationis pati, quin vincaris; inſuperabilibus difficultatibus premi, quin opprimaris; eſt ſemper in corpore circumferre paſſionem Chriſti Jeſu; & in ſingulas horas pro Dei gloria mactari. *Abbas Anſelmus.*

Apoſtolus vitam ducere debet cōformem Evangelio, quod prædicat.

Ne putetis vos umquam proximo utiles futuros, atque effecturos, ut Evangelicas guſtet veritates, niſi vos ipſi repleti fueritis ſanctis hiſce voluptatibus, niſi eaſdem in praxim redegeritis. De ſinu credentis in J. C. fluere debent hi aquæ viventis fluvii, qui mox effluant, & quocumque afferant copiam, atque fertilitatem: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Si cor veſtrum non conſentit cum lingua veſtra; ſi mores veſtri a ſermonibus veſtris diſcrepant; licet celeberrimorum oratorum eloquentiam teneretis, hic inanium verborum torrens quamprimum diſſipabitur, & paullo poſt loci, per quos tranſierit, areſcent aquæ ſteriles ut ante. Proponitis quidem puriſſima Evangelii placita, aquæ iſtæ pellucidæ ſunt, ac ſalubres in ſemet; ſed tranſeuntes per euripum vanitatis aut cupiditatis veneno imbutum, amiſerunt, ut ita dicam, partem virtutis ſuæ, & efficientiæ, & faxit Deus, ut vita veſtra majorem non habeat vim ad impugnandam in animo fratrum veſtrorum veritatem horum placitorum, quam habent ſermones veſtri ad eorum praxim perſuadendam. Ita igitur voſmet ſaluberrimis hiſce aquis repleamini, ut eas ubertim communicare valeatis accedentibus ad vos; egrediantur ex corde veſtro ea vi & impetu, cui nihil reſiſtere valeat; alioquin fruſtra ſperatis fore ut Deus laboribus veſtris benedicat. Hortabimini, docebitis, rigabitis; ſed cum illi, cujus unius eſt dare incrementum, minime placuerit veſtrum miniſterium, eritis æri ſonanti, ac cymbalo tinnienti ſimiles. *P. Segneri in Meditationibus.*

Apoſtolatus præſtantia.

Vobis Apoſtolatus præſtantiam probaturus non confugiam ad magna nomina, quæ olim ſanctis Apoſtolis conceſſa fuerunt, puta, Principum, Deorum, Doctorum, ſalis terræ, tituli glorioſi, ac immortales. Non loquar de hac præeminentia, quam illis S. Paulus contulit in myſticum J. C. corpus: *Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio doctores &c.* (1. *Cor.* 1.) Neque illic mea immorabitur oratio, ut cum S. Chryſoſtomo dicam Apoſtolatum non ſolum eſſe primam Eccleſiæ dignitatem, verum etiam dignitatum omnium principium: *Neque vero tantum*, magnus hic Epiſcopus inquit, *principatus eſt ceterarum dignitatum Apoſtolatus, ſed etiam radix, & fundamentum.* Et ſane, Pater idem inquit, Propheta nequit eſſe Apoſtolus ſed omnis Apoſtolus habet donum Prophetiæ: Omnis Apoſtolus eſt Doctor, omnis Apoſtolus virtutem habet patrandi miracula, omnis Apoſtolus gratiam habet curationum; veſtes enim, & umbra ipſa Apoſtolorum infirmos curabant. Omnis Apoſtolus donum habet juvandi fratres ſuos ea ſapientia, quæ ad eos regendos eſt neceſſaria: omnis denique Apoſtolus donum habet loquendi variis linguis, cum dono etiam illas interpretandi. *Diſce* igitur, Pater idem inquit, *reliquarum gratiarum copiam omnem, tamquam in capite in Apoſtolatu reſidere. Recens Auctor.*

Ejuſdem argumenti.

Per miſericordiam ſuam invenit Deus viros idoneos ingentibus conſiliis, quæ per illos executurus eſt. Colligit hæc omnia talenta, ac diverſa dona in illis, ut eos ſe dignos efficiat; & omnia faciens cum pondere, & menſura illis communicat donum miraculorum, ut infideles credere cogat Religionem quam contemnunt; donum ſcientiæ, ut confundat invictis argumentis incredulos, atque æquo liberiores; donum fidei, ne umquam contradictionibus, atque ærumnis labefactentur; donum verbi ad impios ab impietate revocandos, ad erudiendos rudes, & ſervos nequam confundendos; donum virtutum ad populum eorum exemplo ædificandum; donum Prophetiæ ad juſtos intuitu præmiorum conſolatione afficiendos & deterrendos improbos intuitu minarum, ut illos ad pœnitentiam impellat; atque ita aliorum donorum, atque talentorum, quæ omnia in Apoſtolorum perſona collegit Deus, quandoquidem illos ſimul potentes effecit virtutibus, miraculis, & operibus, Apoſtolos, Prophetas, Doctores, concionatores, æquiſſimum erat, ut illi totidem donis cæleſtibus ornarentur quot varia veritati perhibituri erant teſtimonia. *Ut teſtimonium perhiberet de lumine.* (*Jo:* 1.) *Idem.*

Merces Apoſtolorum in cælo certiſſimū argumentum eſt inſigniū eorumdem virtutum in terra.

Si Apoſtoli prima tenent in cælis ſubſellia, fateri cogimur, illos in terris præ ceteris enituiſſe morum ſanctitate, vitæ integritate, eminentia virtutum. Deus enim æquiſſimus præmiorum diſtributor, hæc meritis Sanctorum exæquavit. Omnes æque beati ſunt; non omnes tamen eumdem gloriæ poſſident gradum. Quam autem pollicitus eſt Deus mercedem Petro, atque in hujus perſona Apoſtolis omnibus? *Amen dico vobis*, hæc ſunt J. C. verba, *quod vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.* O mutationem admirabilis manus Altiſſimi! Mundi evanuit illuſio; homines, qui in oculis mundi videntur adeo abjecti, & contemptibiles, ſuper nitentes gloriæ thronos attolluntur, ut de nationum ſorte judicent, ut de Regibus, ſubditiſque ferant ſententiam. Magni fuerunt virtutibus ſuis: ecce quam ob cauſſam magni ſunt in cælo. *Recens Auctor.*

Sed quos homines exiſtimatis fuiſſe Apoſtolos, antequam Spir. Sanctus doceret illos omnem veritatem? Heu? Fideles! quod portentum? Homines erant vitiis manantes, ſecundum ipſius J. C. exprobrationem, *ſtulti, & tardi corde ad credendum.* Homines carnales, & de iis, quæ pertinent ad Deum judicare volentes: *niſi videro, non credam.* Homines cupidos, qui vera ea tantum putabant, quæ deſideriis ſuis erant conformia; homines, quos Salvator ipſe ægre ſuſtinebat, & quibus aliquando ſubindignatus ait. *O generatio incredula, quamdiu vos patiar?* (*Marc.* 9.) Ita illos nobis exhibet Evangelium, & talis adhuc erat poſt Reſurrectionem Filii Dei cordis eorum affectus, namque Jeſus Chriſtus ab illis recedens, & aſcendens in cælum, illis incredulitatem, & duritiam cordis exprobravit. *P. Bourdaloue in Sermone pro die Pentecoſtes.*

Exemplum S. Stephani a viris Apoſtolicis imitandum.

Quot peccatoribus dicere mihi liceret ea, quæ S. Stephanus cæcæ, rebellique genti exprobrabat? Tantum effluxit temporis, auditores, ex quo de hoc ſuggeſtu ſalutis veritates vobis prædicantur. Deus ad vos Evangelii ſui miniſtros legavit, qui etiam vobis perſuaſerunt, diſertos, atque patheticos concionatores, quos plurimi cum fructu adiverunt. Si ergo adeſſent hujuſmodi corda indomita, & inflexibilia, de quibus Sanctus Stephanus loquebatur: *Dura cervice, & incircumciſi cordibus*, cor, illis dicerem, animum obfirmatis, ne de flagitiis veſtris emergatis? & cur ſanctiſſimis chriſtianæ pietatis inſtitutis reſiſtitis, eiſque opponitis fallacem mundi ſapientiam, quæ Deo eſt inimica? Hoc enim vos indurat, ac perdit ſæculo addictos. Sicuti Judæi ſapientes eſſe volebant juxta legem ſuam, non autem J. C. ita ſapientes eſſe vultis ſecundum mundi placita, intelligentes, prævidentes, eruditi in iis, quæ mundi hujus ſunt. J. C. cum mundo, hujus Evangelium cum mundi legibus, hujus ſpiritum cum ſpiritu mundi vultis conciliare. Licet vobis perſuaſum ſit de veſtris erga Deum officiis, conſilium capere non poteſtis contra mundi torrentem obnitendi; mundi cenſuram reformidatis, vobiſque legem, ac neceſſitatem irrogatis voſmet ad mundi conſuetudines formandi, ac vivendi quomodo vivitur in mundo. Tale eſt principium hujus duritiei cordis, quæ tamquam invictus hoſtis veſtram prohibet converſionem. Putatis ne hos Judæos contra J. C. rebelles, & quorum infidelitatem domare S. Stephanus aggreſſus erat, vobis nocentiores fuiſſe in obduratione ſua, atque impœnitentia? Equidem reor obdurationem veſtram citra quamlibet comparationem eſſe criminoſiorem & pœnitentiam eorum ſexcentis ex locis coram Deo magis excuſabilem, veniaque digniorem extitiſſe: ne nobis os ſubliniamus, auditores: Judæi, quos S. Stephanus confudit, quemcumque de illis conceptum foveamus, minus erant infideles, quam nos. Illi falſo religionis zelo peccabant, nos autem peccamus ex animi licentia, quæ non longe diſtat ab omni religionis carentia. Illi aures, & corda ſua obſtruebant verbo Dei, nos vero per longe gravius convicium verbum hoc non audimus, niſi ut ejuſdem vel cenſores ſimus, vel prævaricatores. *P. Bourdaloue in Panegyricis SS. Tomo* 1.

Apoſtolicæ gloriæ fundamentum eſt, imitatores eſſe J. C.

Inter magnifica nomina, quæ paſſim Sanctis tribuuntur Apoſtolis, nullum invenio, quod in majorem cedat honorem eorum, vel quod nitorem virtutum ipſorum magis augeat, vel ſolidius conſtituat meritum actionum eorumdem præter nomen imitatorum Chriſti. Sicut nullum perfectius adeſt exemplar, ita nullum eſt, quod in eorum honorem, & gloriam magis cedere valeat. *Nihil eſt dignius*, S. Leo ajebat, *quam ut homo ſit ſui auctoris imitator.* Ita Gentium Apoſtolus ſe quatenus Dei ſui imitatorem propoſuit Corinthiis. *Eſtote ergo imitatores mei*, dixit illis, *ſicut ego Chriſti.* (1. *Cor.* 4.)

Lib. de vera innocentia c. 19.

Profecto præterquamquod hæc imitatio, ex D. Auguſtini ſententia, format arctiſſimum vinculum inter Deum, & hominem, eſt etiam non æquivocum argumentum exiſtimationis, reverentiæ, venerationis, gratique animi ſui erga Deum. *Eſtote imitatores Dei*, S. Paulus ait, *tanquam dilecti filii ipſius.* (*Epheſ.* 6. 5.) Tamen ne putetis, Auditores, Apoſtolos umquam reſpexiſſe conformitatem miraculorum ſuorum cum miraculis Salvatoris, tanquam fundamentum immortalis gloriæ, quæ in illis reſulſit, neque gloriatos fuiſſe quod ut ille, dæmones ejecerint, ægros curaverint, claudis greſſum, cæcis viſum, mortuis vitam reddiderint; ſed quod ut ille ſancti fuerint, illum in laborioſa vita ſecuti fuerint, ut ille, amaverint cruces, calumnias, opprobria; qua in re ipſe J. C. ſe in exemplum omnibus Fidelibus propoſuit: *Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde.* (*Matt.* 11.) Gentium Apoſtolus, cum illi perſuaſum eſſet, veram gloriam conſiſtere in hoc, ſi J. C. ſequamur, non quidem in Thabor, ſed in Calvarium, ajebat: *Mihi abſit gloriari niſi in cruce D. N. J. C.* (*Galat.* 6.) & conſolaturus Theſſalonicenſes, ſcribit illis: Fratres mei facti eſtis imitatores Eccleſiarum Dei, quæ amplexatæ ſunt J. C. fidem in Judæa, & reddit rationem, quia, inquit, eaſdem perſecutiones a concivibus veſtris eſtis perpeſſi. Glorioſi imitatores J. C. Apoſtoli ſancti auferte a nobis hunc tribulationum horrorem ac tædium erga ea, quæ amorem proprium poſſunt mortificare; precum veſtrarum virtute teporem noſtrum corrigite ardenti zelo, quo vocari mereamur Dei noſtri imitatores. *Auctor recens.*

Fructus admirabiles miſſionis Apoſtolorum.

Ne diſſimulemus, Auditores, grati animi ſenſu fateamur, nullam nobis in mundo gratiam eſſe quæ non fluxerit in nos per Apoſtolos, quibus uſus eſt Deus, ut illa ad nos uſque manaret. Illi organa fuerunt magnificentiæ, & miſericordiæ Dei erga homines; namque undenam in nos profecta eſt hæc Jeſu Chriſti cognitio, & hæc pura, & ſancta fides? Unde ad nos uſque effluxerunt hæ immenſæ ſacramentalium gratiarum divitiæ? Cuinam acceptum referendum eſt Ethnicæ

ſuper-

ſuperſtitionis, & impietatis excidium? Nonne manibus Apoſtolorum, qui dum extruebant fidei ædificium, ſanctitate doctrinæ ſuæ Gentium ſuperſtitiones proſternebant? Nonne inquam manibus divinorum hominum, qui ſimul & Jeſu Chriſti Crucem figebant, & profana inanium Deorum ſimulacra proſternebant? Sancti Apoſtoli emiſerunt vocem ſuam; Satanas in tutiſſimis etiam receſſibus infremuit; Oracula obmutuerunt; & Jeſu Chriſti crucifixi Evangelium in univerſo mundo cognitum fuit. Gentes licet barbaræ ſecutæ ſunt vexillum Filii Dei, omnes novæ legis jugum amplexati ſunt. *Idem.*

Amor J. C. erga Apoſtolos.

Cum Princeps ſubdito poteſtatem, atque auctoritatem impertit ſuam, illi ædes ſuas commodat, amicos vocat, gratias ſuas illi large, effuſeque concedit, honores, & contumelias, quibus afficitur, ſibi factas putat; proculdubio ſubito huic minus æquivoca præbet amoris erga ipſum ſui argumenta. En autem quid mundi Salvator ſuis contulerit Apoſtolis. Vobis id probaturus neque rationum vi, neque eloquentiæ artibus utar. Simpliciter, & ſine fuco vobis dicam, quod dicit Eccleſia: *Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* (*Matth.* 16.) Paulus plenus poteſtate, atque auctoritate, quam illi ſuum conferebat miniſterium, ad Corinthios ſcribebat; *Si amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram, non erubeſcam.* (2. *Cor.* 10. 8.) Et Sanctus Auguſtinus de hac loquens auctoritate, ait: Dedit Deus Apoſtolis ſuam auctoritatem ſuper naturam, ut curarent illam, ſuper dæmonem, ut hunc ſubjicerent, ſuper elementa, ut illa mutarent, ſuper mortem, ut illam contemnerent. Hanc poteſtatem contulit Jeſus Chriſtus Apoſtolis ſuis. Scriptura ita ſcatet exemplis Apoſtolicæ auctoritatis, ut veſtra abuterer patientia, ſi eadem perſequi vellem. *Idem.*

Sanctus Matthæus (*cap.* 16.) admirabilis eſt, ubi loquitur de ſumma confidentia, quam mundi Salvator ſuis teſtatur Apoſtolis, illos, ſe Chriſtum eſſe docens vetat, ne cui hoc dicant ante reſurrectionem ſuam, & S. Paulus ait J. C. eos repleviſſe intelligentia, atque ſapientia, ut voluntatis ſuæ myſteria cognoſcerent. S. Joannes perſpicue loquitur de hac confidentia, cum J. C. loquentem inducit: *Jam non dicam vos ſervos quia ſervus neſcit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* (*Joann.* 15. 15.) *Recens Auctor.*

Deus Apoſtolis uſus eſt tanquā pulcherrimis Eccleſiæ ſuæ ornamentis, atque divitiis.

Noſtis, Auditores, æque ac ego, Deum per Apoſtolos Eccleſiam ſuam conſtituiſſe. Hos regeneraſſe nos aquis Baptiſmatis; hos nobis ſpiritum veritatis dediſſe; hos nobis ſecundam hanc poſt naufragium tabulam dediſſe, ut inde emergeremus: hos nobis Angelorum panem diſtribuiſſe: hos docuiſſe, a Jeſu Chriſto civilem matrimonii contractum ad Sacramenti dignitatem ſublatum fuiſſe: hos per ordines ſacros perennaſſe in Eccleſia, & inexhauſtas effeciſſe divitias gratiæ Redemptoris; hos denique tradidiſſe nobis contra peccati ejuſdem reliquias medicinam. Nolite ergo mirari poſt hæc, ſi cum miſericordiarum pater tot illis præbuerit amoris, & bænevolentiæ monumenta, quam aliquando in cælis erat coronaturus, ab omnibus, quæ ad illos in terra ſpectant, tam facile afficiatur. *Idem.*

Apoſtoli prorſus erant a terrenis rebus alieni.

Mundus fortaſſe tunc primum in Apoſtolorum perſona vidit homines alienos ab iis omnibus, quibus mundi cultores illiciuntur, alienos inquam, non in ſpeciem dumtaxat, ſed reipſa, & non mente non ſolum, verum etiam corde. Sæculum quippe plures nobis exhibet fictitios thraſones, mundi ſpretores, quos vel ratio licet exilis, & infelix miſeriarum hujus mundi experientia fateri cogunt, iſthæc omnia nihil eſſe, & qui hoc aliis dictitant, quin ideo tamen minus alacriter, acriterque ea conquirant, quæ ſua putant intereſſe. Apoſtoli vident ad pedes ſuos projici fidelium theſauros ab iiſdem collatos, ſibique creditos: quodnam cupiditatis illicium! Sed divitiarum contemptores ne dignantur quidem ad illos manus extendere; errore depoſito, non quidem ex parte, ut illi qui avaritiam negligunt, ut gloriam aucupentur, & qui in vanitate reperiunt mundum, quem in divitiis relinquunt; ſed prorſus, & ſine ulla exceptione: & non minus gloria, quam cupiditate moventur; coluntur tanquam delapſa cælo numina; & thure hoc non moventur, ſenſuque carent, ubi illis honor defertur, qui maximam, atque nullis finibus circumſcriptam replere valent ambitionem. Errore depoſito non earum tantummodo rerum, quæ ambiunt illos, utpote, qui flocci faciunt univerſa, ut ſeſe in ſola ſuimet ipſorum exiſtimatione contineant: ſed etiam magis ſemet contemnentes, quam reliqua: homines iſti, quibus mundus dignus non erat, ſeſe reſpiciunt tanquam ſubditos maxime contemptibiles, & ſinguli ſe minimum, ac noviſſimum Apoſtolorum appellant. *Idem.*

In regno Filii Dei, nemo inutilis eſt, & Apoſtoli ibi tanquam Eccleſiæ fundamenta locantur.

Nihil inutile eſt in regno Dei: ſubditi omnes, qui componunt illud, ibi operantur, & qui propius accedunt ad illum ii ſunt, qui præcipuam illis operam locant. Apoſtoli ſunt Eccleſiæ fundamenta quæ illam ſuis laboribus ſuſtinent, qui irrigant illam ſudoribus ſuis, & ſanguine, & qui verbo ſuo uberem faciunt: primi enim ſunt prædicatores, qui nunciarunt infidelibus Evangelium: qui illos de mortis ſinu eripuerunt, liberantes eos a ſervitute peccati. Evangeliſtæ addiderunt ſcripta ſua verbis Apoſtolorum, nobiſque narrantes hiſtoriam Jeſu Chriſti, hujus exemplis nos excitarunt.

Cum S. Matthæus, duplici hoc honore præditus eſſet, utpote qui ſimul & Apoſtolus, & Evangeliſta, homines docuit & verbis, & ſcriptis; difficile ſatis eſt dicere utri magis Apoſtolo ne, an Evangeliſtæ debeamus. Tanquam Apoſtolus magnam terræ partem peragravit, & illuſtravit fidei lumine cæcos populos, quibus infidelitas ſua majorem afflaverat caliginem, quam cælum ſuum; intolerabiles ſuſtinuit labores, ut erudiret illos, & regionis illius ardores ſuperans ardoribus caritatis, adquiſivit Filio Dei maximam Africæ partem; & tanquam Evangeliſta ſeſe ſuper Hiſtoricos, Prophetas, & Apoſtolos extulit. *Ex Panegyricis Sanctorum Patris Senault Oratorii.*

S. Matthæus J. C. facta deſcribit, ejuſque intentiones nobis aperit.

Sanctus Matthæus nobis deſcribit actiones Filii Dei, ejus intentiones aperit nobis, & docet, illum in terras deſcendiſſe, ut ſalvos faceret peccatores. Exhibet nobis victorias innocuas, quæ nullas faciunt viduas, non orphanos, quæ cum verbo fiant, humanum cruorem non effundunt, neque vim inferunt, neque cædem. Admirabilem nobis proponit Regem, in animos, & corda regnantem, qui pro ſubditorum ſuorum ſalute vitam impendit, qui illos ſuo nutrit cruore, & qui injuſtitiam ex ſua ditione extrudens, omnes ſibi dicto parentes jubet, ut ſemeptipſos oderint, inimicos autem diligant. Cum ille pluribus antecellat prærogativis Hiſtoricos ſæculi, qui ſæpe nobis exhibent clades exercituum, urbium expugnationes, odia injuſta, impuros mores; antecellit etiam veteris Teſtamenti Prophetas; nam licet illi divino afflati eſſent ſpiritu, ſæpe tamen portendebant, quæ non intelligebant, & ratio nos docet Prophetiam ſemper tenebris fuiſſe involutam. Sed S. Matthæus nihil ſcripſit, quod non intellexerit; cumque in Spiritus Sancti ſchola edoctus fuerit, luminibus ejus nihil tenebrarum erat commixtum. *Ibidem.*

Evangeliſtarum major eſt utilitas, quam Apoſtolorum.

Sanctus Matthæus, quatenus Evangeliſta Apoſtolos ſuperavit; & de Eccleſia melius meritus eſt ſcriptis, quam verbis. Nam licet divini Præcones illi terram univerſam peragraverint, dicere poſſumus, quin illis inferamus injuriam, non omnes ſingillatim omnes docuiſſe Provincias. Mundum inter ſeſe diviſerunt, & ſinguli erudierunt eos populos, qui ſibi ſortito obtigerunt. Sed Evangeliſtæ univerſum terrarum orbem illuſtrarunt, eorumque libri maria traduxerunt, & apud Indos genuerunt fideles. Eorum ſcripta illuc pervenerunt, quo Gentium domitores armis ſuis non pervenerunt; & plures Filio Dei ſubditos, quam Romanæ Reipublicæ Scipiones, Cæſares, Pompeji pepererunt. Apoſtolorum prædicatio bonum fuit perfunctorium; aliquos tantum annos manſit; & idem ſæculum, quod illam oriri, eamdem etiam deficere vidit. Sed Evangelium bonum eſt, quod ſemper perſeverat, & quod nonniſi cum Eccleſia finem habiturum eſt, omnes fideles ad finem uſque univerſorum edocebit. *Idem.*

Dei Filius Apoſtolos vocat mundi lumen.

Dei Filius Apoſtolos allocutus vocat illos lumen, *Vos eſtis*, ait illis, *lux Mundi.* (*Matth.* 5. 14.) Lux hæc ſeſe manifeſtare debet, & in omnibus terræ locis lucere. Salvator Mundi, ut oſtendat hanc neceſſitatem, quam ſuis imponit Apoſtolis annunciandi veritatem, cujus ſequeſtres erant, utitur parabola oppidi cujuſdam, quod cum in montem ſitum ſit, latere non poteſt. Addit etiam non accendi lucernam, ut ſub modio ponatur, ſed ſuper candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. Quid autem Salvator infert ex hac parabola? Hoc ſequentibus verbis explicatur: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* (*Matth.* 5.) *Lambert in anno Evangelico, Tomo* 7.

Ejuſdem argumenti.

Apoſtoli ſunt lux mundi, ſed non ex ſe hac glorioſa qualitate ſunt præditi; ideo ſunt lux, quia illuſtrati ſunt ab eo, qui vera eſt *lux*, & qui *illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Hoc enim ille de ſe dixit. *Ego ſum lux mundi; qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* (*Joann.* 8.) Ergo Jeſus Chriſtus vera lux eſt & cum homines lux mundi vocantur, hoc bonum eſt, quod ex ſemetipſis non habent, ſed quod mutuati ſunt ab illo, qui omnis lucis fons eſt. Jeſus Chriſtus cum ſit lux per eſſentiam, mirum non eſt, ſi de ſe dixerit, quod dixerat de ſervis ſuis. Modo vidiſtis, ubi in ſermone de monte dixit, nemo lucernam accendit, & ponit ſub modio, tunc ad Apoſtolos ſuos locutum fuiſſe. Eadem uſus eſt parabola in Evangelio noſtro, ſed præcedentia verba, & circumſtantiæ palam oſtendunt, de ſeipſo tunc loqui. *Idem.*

Jeſus Chriſtus per miras virtutes ſuas oſtendit; ſe verum eſſe lumen.

Neque abſcondunt lucernam, & ponunt ſub modio. Jeſus Chriſtus de ſeipſo loquitur. Oſtendi vobis, quinam ſit lux vera. Lux hæc nequaquam poſita fuit ſub modio: Quænam præbuit nobis Jeſus Chriſtus miſſionis, & divinitatis ſuæ documenta? Cum fecit miracula & opera, quæ nemo alius facere potuit, cum verborum ſuorum vi, vitæ ſuæ modeſtia, patientia cum inimicis, & omnibus viis, quas caritas illum tentare coegit, ut eorum vinceret pertinaciam, toties oſtendit, ſe eſſe illum, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*; (*Coloſſ.* 2. 3.) hoc aliud eſſe, quam lucernam ponere ſuper candelabrum, ut videatur ab omnibus qui domum ingrediuntur. Hoc pacto Dei Filius oſtendit inimicis, ipſos abuſos fuiſſe miſericordiis ſuis, aperitque illis improbitatem qua contra illius conſilia operabantur. Venit ad diſſipandas tenebras, quæ terræ univerſæ incubuerant. *Populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & ſedentibus in medio umbræ mortis, lux orta eſt eis.* (*Matth.* 4. 16.) *Lambert Anni Evangelici Tomo* 8.

Apoſtolorũ ſucceſſores ad eorum exemplum pro Eccleſia laborare debent.

Omnes Apoſtolorum ſucceſſores cum vocentur, non ſecus ac illi, *lux mundi*, tenentur pro ſingulorum ingenio, & officio pro Eccleſia laborare. Quidnam lux eſt, quæ non lucet? Inutilis eſt Miniſter, qui ſibi tantum cogitat. Qui nullo habet in diſcrimine, utrum fideles verbi pane nutriantur qui nihil confert ad Dei gloriam, & proximi ſalutem neque laboribus, neque curis, neque exemplis, neque eleemoſynis. Væ mihi dicebat Apoſtolus, niſi Evangelium prædicavero. *Sollicite cura*; (1.*Cor*.6.) ajebat idem Apoſtolus ad Timotheum Diſcipulum ſuum, *te ipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, bene tractantem verbum veritatis*. (2.*Tim*.2.15.) Cum idem S. Paulus deſcribit qualitates, quæ decent Epiſcopum, atque Presbyterum, vult ante cetera hunc parem eſſe docendo. Difficillimum eſt intelligere, quomodo homines J. C. Sacerdotio inſigniti putent, citra conſcientiæ labem, otiari, ac tempus terere, cum tot populi Deum ignorent, vel illum norint dumtaxat ut lædant; Cum tot Fideles æque rudes in iis, quæ ad Religionem pertinent ac Indorum maxime barbari ignorent fidei rudimenta, & cum tot alii panem poſcant, nec adſit, qui hunc illis frangat, atque diſtribuat. *Idem*.

Duo ſunt modi docendi, alter verbo, alter exemplo.

Duo ſunt edocendi modi; quorum alter eſt, annuntiare veritates Evangelicas; alter vero illas fideliter exercere. Nihil validius eſt verbo, quod bono confirmatur exemplo. Ille, S. Auguſtinus inquit, cujus vita conformis non eſt veritatibus quas annuntiat, convertere poteſt cor; quia inter ejus auditores fortaſſe inveniuntur aliqui, qui meminerint quo in honore J. C. haberi velit illos, *qui ſedent ſuper Cathedram Moyſi*. (*Lib*.8. *de doctr. Chriſtian. c*.27. *Matth*.23.2.) Quocumque modo ſciamus quod facere teneamur, ſemper æque tenemur. Dei verbum ſanctum eſt per ſe, & hominum nequitia illud vitiare non poteſt. Hinc fit, quod Deus non minus perficit opus ſuum eorum miniſterio, qui morum ſuorum labe characterem dedecorant ſuum; ſed longe aliter accidit, cum verba factis animantur. *Lambert in anno Evangelico, tomo* 8.

Sanctus hic inſigne exemplum eſt viris Apoſtolicis.

Sanctus hic inſigne eſt exemplum, quod omnibus Eccleſiæ miniſtris oſtendere debet, nihil terribilius eſſe, quam munus Apoſtolicum, illos ſe beatos exiſtimare debere, ſi dies ſuos tranſegerint, quin grave hoc onus ſuſtineant; neque in Sanctuarium pedem eſſe inferendum, niſi invitis, & cum Deus præbuerit manifeſta legitimæ vocationis indicia, quibus reſiſtere nefas eſſet. *Idem*.

Senſus Patrum, ac Theologorum de vocatione Apoſtolorũ.

Ex omnibus Divinitatis J. C. & veritatis Religionis, quam profitemur, argumentis, Patres omnes, atque Theologi Apoſtolorum vocationem reſpexerunt tanquam unum ex valiſſimis, atque invictiſſimis. Sive immoremur in operis magnitudine, atque ſumma ejuſdem difficultate, ſive intueamur eventum, quem obtinuit, & felicitatem, cum qua hæc religio ſeſe perennavit; ſive ad examen vocemus media, quæ ad id adhibita fuerunt, vel perſonas, quæ electæ fuerunt, ut tantum hoc opus feliciter ad finem perduceretur; hæc omnia nobis ſupernaturalia, atque divina videbuntur. *Elogia Hiſtorica Sanctorum Tomo* 1.

Religio late ſe effundit in mundum univerſũ laboribus Apoſtolicis.

Hæc non eſt commentitia quædam, ut olim Platonis Reſpublica, jubentis omnes homines ſub iiſdem legibus vivere, & cupientis, ut ſicut unus tantum eſt mundus, unus etiam mos eſſet, idemque vitæ genus. Eximia meditamenta, quæ tamen nonniſi in imaginatione unius ingenii delirantis vigebant, de quo S. Auguſtinus dixit, ſi in Mundum redivivus reverteretur, futurum, ut obſtupeſceret videns Religionem, quæ illi ridicula viſa fuiſſet, ſi Apoſtolicis vixiſſet temporibus, ita in mundo univerſo inſtitutam, cum ille vix aliquot in exiguo terrarum angulo diſcipulos congregare potuerit & ſexcenti inſuperabiles obices illi adverſari videbantur. Cæcitas, ac ſuperſtitio Ethnicorum, qui jampridem falſa venerabantur numina; ſuperbia, & pertinacia Judæorum, qui cum a vero Deo veram accepiſſent Religionem, credebant eam ſibi numquam eſſe relinquendam; ſuavitas legum jamdudum rogatarum, ac diutina conſuetudine confirmatarum; ſeveritas legis alterius prorſus novæ, quæ homines ad auſteram, humilemque diſciplinam redigebat; hæc omnia recto ſenſui repugnabant, & oſtendebant conſilii hujus impoſſibilitatem. Ethnicis dicendum erat: Religio veſtra eſt ſacrilega & abominabilis. Evertite delubra, aras confringite, excidite ſimulacra. Dii veſtri ſunt fabuloſi, unus tantum verus eſt, quem ipſi colimus. Judæis erat dicendum: Lex veſtra olim bona erat, ſed nunc abrogata eſt: habuiſtis figuras, quæ præterierunt, ſed veritas, quæ apparuit, viget. Vos repleti fuiſtis promiſſionibus; ſed qui vobis promiſſus fuit, jam venit: cærimoniæ, ſacrificia, oblationes, purificationes, Sacerdotes, victimæ, Templa, ſolemnitates, nihil horum vobis licet. Quis credidiſſet Religionem hanc bene vertere poſſe, & non omnino omnem de eadem ſpem abjeciſſet? *Ibidem*.

Quid nobis faciendum ut imitemur Apoſtolum, & ad illius exemplum Evangelii gloriã procuremus.

Quis vetat, ne aliquando exteriorem Apoſtolatum exercentis? Parum infirmitatis, & conſtantiæ quibuſdam in occaſionibus, lenitatis, & indulgentiæ parum in aliis: ſcita prudentia in humiliatione veſtra, & nonnumquam in exaltatione veſtra, in perſequendis juribus Dei, & in veſtris remittendis; in adhibendis reprehenſionibus, & in ſarcienda pace in diſſentientibus familiis, in procuranda familiarum afflictarum requie, quas diſcordiæ, & lites ad exitium vocant. Seria vobis adhibenda cura eſt, ut videatis quomodo in vobis cognoſcere poſſitis Dei beneficia, quibus vos ornavit: hæc enim tot ſunt media, quibus ad Evangelii gloriam cooperari valeatis. *Elogia Hiſtorica Sanctorum tom.* 1.

Sancti hujus Apoſtoli vita longe alia eſt a noſtra.

Sed iis, quibus magnus hic Apoſtolus afficiebatur, nos non afficimur; ea, quæ illum ad agendum impellebant, minimum eſt veſtrarum curarum, & occupationum objectum. Sanctus hic memor bonorum, quæ acceperat a Deo, nonniſi propter illum ſpiritum habere volebat; vos autem divinis beneficiis ingrati, ſin minus contra eumdem ſpiritum veſtrum convertitis, numquam tamen illum impenditis, ut cognoſcatis eum eique ſerviatis. Quot voluntariæ diſtractiones! Quæ cogitationes vel otioſæ, vel noxiæ! Quæ præcipue in muneribus veſtris obeundis ignavia! Quot damnationis cauſſæ in hora mortis veſtræ, omne tempus veſtrum in iis rebus inſumpſiſſe, quæ eodem erant indignæ! & in fatali oblivione vixiſſe Dei, qui ſemper de vobis erat ſollicitus, qui ſemper memor erat veſtri, qui ſemper vobis recentia patientiæ, ac bonitatis inditia præbebat! *Idem*.

De miſſione Apoſtolorũ.

Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Orate dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam. Hæc verba dixit Jeſus Chriſtus Apoſtolis, cum miſertus turbarum in agris effuſarum, reſpexit illas tanquam oves non habentes Paſtorem, qui ageret illas. Cum oculos conjiciens in tot populos ſedentes in tenebris, & in umbra mortis, videre ſibi viſus eſt arva flaveſcentibus ariſtis plena, ſed jam jam grandine depopulanda propter inopiam meſſorum, qui eas demetere, & in horrea Patrisfamilias condere properarent. Mundi Salvator tunc reſpiciebat ſalutem ovium Iſrael, pro quibus potiſſimum venerat; & orationis hujus vis ab Apoſtolis potiſſimum erat intelligenda, quos jam jam miſſurus erat in univerſam terram: ſed quemadmodum noverat Evangelicæ prædicationis gratiam a Judæis contemptam, ad Gentes eſſe transferendam; & vineam hanc infelici ſterilitate percuſſam propter ingrati populi negligentiam, tradendam eſſe aliis, qui excolendo eam uberem facerent, & quandiu permaneret Eccleſia, non ſemper defutura tempora, ubi Apoſtolicorum miniſtrorum inopia relinqueret in prædam ſingularis feri vineam hanc J. C., & Apoſtolorum ſanguine irroratam, & cujus torcularia redundarunt cruore Martyrum, quem ad illam tuendam, augendamque effuderant: petit ab Æterno Patre homines ſpiritu ſuo repletos, ſuis donis, & ſcientia locupletatos, qui ferant opem Eccleſiæ in publicis, urgentibuſque neceſſitatibus, & in difficilibus temporum circumſtantiis, quibus illa premenda erat toto tempore ſuæ durationis. Efficaciæ hujus orationis, quæ omnia amplectebatur tempora, omneſque populos, Religio debet inæſtimabile donum Sancti hujus, cujus hodierna die laudes recolere aggredior. *Ex Specimine Panegyricorum tom.* 1.

Deus aliquando eligit miniſtros ſine ſcientia ut in eorum Apoſtolatu effectus admirabiles pariat.

Deus, cujus gratia multiformis eſt, inquit Apoſtolus, & pluribus modis operatur, non ſemper tribuit eaſdem qualitates miniſtris, quos extra ordinem mittit, ut ſint Religionis Reparatores, aut Inſtitutores: nonnumquam eligit homines humili genere natos, nulla educatione præditos, ſcientiis expertes, urbanitate vacuos, immo etiam iis vitiis diffluentes quæ oppoſita videntur officiis, quibus perfuncturi ſunt, ut effectus admirabiles prodeuntes per adeo incongrua inſtrumenta, melius oſtendant cauſſam divinam, ac ſuperiorem, a qua vires ſuas mutuantur. Sed legimus in Sripturis, Moyſen nihil intentatum reliquiſſe, ne Pharaonem adiret illum Dei verbis allocuturus; dicentem ſibi vitium eſſe in lingua; & ſe omni carere eloquentia: Jeremiam videntem Domini voluntatem eſſe, ut ipſe tamquam murus æneus objiceretur domui Juda, cauſſatum eſſe oris ſui impedimentum, ac trepidanti voce dixiſſe: *A, a, a, Domine neſcio loqui*. Apoſtolos ex populi fæce eductos, rudes, navicularum ſuarum limo imbutos delectos fuiſſe, qui univerſum terrarum orbem converterent; Verum non latet Iſaiam magnum illum Prophetam ex Regia ſobole procreatum fuiſſe, David Regni ſolium obtinuiſſe, ut ibi Domini laudes concelebraret, fieretque organum æternum omnibus vocibus, quæ ſanctæ huic exercitationi devoverentur: Sanctum Paulum cum perfecta legis cognitione conjunxiſſe ardentem zelum pro tuendis Traditionibus, cum ſegregatus fuit, ut eſſet Gentium Doctor; neque ſatis admirari poſſumus in Epiſtolis ejus profundas, divinaſque locutiones, ad quas humana eloquentia pervenire non poteſt: ac tandem Jeſum Chriſtum ob miſſionis ſuæ ſingularitatem Meſſiam nuncupatum, & ejus ordinis, qui prorſus ab alio quovis longe recedit, voluiſſe originem ducere ex progenie David; & mulieres illum audientes exclamare conſueviſſe, nullum umquam hominem ita fuiſſe locutum. Ita Deus Sanctum Noſtrum replevit iis donis, quibus par fieret maximis quibuſque rebus peragendis, quas Deus per illum peracturus erat. *Ex Specimine Panegyricorum tom.* 1.

J. C. uſus eſt Apoſtolis, ut homines ad fidem evocaret.

Cum vellet Jeſus Chriſtus homines ad fidem vocare per Apoſtolos, erudire per Prophetas, regere per Paſtores, his quidem Apoſtolatus donum, illis Prophetiæ, aliis alia dona conceſſit. Primum igitur dedit Apoſtolos. Nomen hoc miſſum ſignificat, & collatum fuit duodecim illis, quos J. C. ante Paſſionem elegit ex omnium Diſcipulorum ſuorum numero, qui erant futuri primi Evangelii præcones. His adjunxit alios ſeptuaginta duos; verum cum his non contulerit abſolutam poteſtatem, ut primis illis; neque vocavit eos nomine eodem. Apoſtolorum autem nomine illos intelligimus, quos ſibi delegit ipſe Jeſus Chriſtus ad obeunda Apoſtolatus munera una cum iis, quos ante Paſſionem delegerat. Tales fuerunt S. Mathias, S. Paulus, S. Barnabas. Denique nomen Apoſtolorum ſe extendit ad omnes illos, qui primi fue-

runt

runt Eccleſiarum Inſtitutores, cum hoc tamen diſcrimine, quod Apoſtoli vocantur earum tantummodo Eccleſiarum, quas inſtituerunt. Hoc pacto S. Dionyſius eſt Pariſiorum Apoſtolus, cum Apoſtoli a Jeſu Chriſto inſtituti cum ante, tum poſt Aſcenſionem ejus ſint totius orbis Apoſtoli. His quippe dictum fuit; Ite in univerſum mundum, & prædicate Evangelium omni creaturæ. Cum autem Jeſus Chriſtus pleroſque Apoſtolos ante ſuam Aſcenſionem delegerit; dicere tamen poſſumus hunc illos Eccleſiæ dediſſe, poſtquam in Cælum aſcendit: cum enim illos de Jeruſalem efferre pedem prohibuiſſet antequam Spiritum Sanctum recepiſſent, illos vere dedit Apoſtolos, cum illos implens Spiritu Sancto poſt Aſcenſionem, contulit illis omnes gratias Apoſtolatus, effecitque, ut omnia Apoſtolatus munera obirent.

Deus in miniſtris ſuis non damnat infelicem laborum eventum, ſed inertiã.

Si boni, fideleſque ſervi omnibus nonnumquam viribus ſuis adlaborabant, laborumque nullus fructus videtur, J. C. conſolatur illos his verbis, quibus Paterfamilias ſervum inertem reprehendit: Oportebat *te committere pecuniam meam nummulariis; & veniens ego recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura*. Deus in Miniſtris ſuis inertiam damnat, non autem laborum ipſorum eventum. Vult illos plantare, rigare, dare autem incrementum ſibi reſervat. Illos jubet attrectare vulnera, ſed ille vulneribus adhibet medicinam. Illi Domini ſui pecuniam in eum, quem jubentur uſum convertunt, & ille eum percipit fructum, quem cupit. Cum zelo adlaborarunt, quia adlaborare juſſi ſunt, ſi labor illis bene vertit, humiles ſunt, neque ſibi vindicant fructum, quem norunt a Deo proficiſci. Si labor eorum inutilis eſt iis, quibus prodeſſe vellent, non ideo mœrore conficientur ſcientes obedientiæ ac fidelitatis ſuæ mercedem ſibi non defuturam. His innixus principiis Sanctus hic omnem vitæ ſuæ rationem compoſuit; & licet illi beneverteret labor, & zelus, ut Jeſu Chriſto animas lucraretur, non ideo tamen id ſibi gloriæ vertit. *Tourneaux in anno Chriſtiano tomo* 8.

Miniſtri & fideles omnes in lucro ponere debent talenta, quæ ſinguli acceperunt.

Si illi, quos Deus ad Eccleſiæ ſuæ miniſterium evocat, non debent humi recondere talenta, & ſingularia dona, quibus cumulati ſunt ad aliorum utilitatem, quandoquidem eorum rationem Deo ſunt reddituri: Quilibet Fidelis, S. Gregorius ait, diligenter attendere debet, quomodo omnibus utatur bonis, ſeu naturæ, ſeu fortunæ, ſeu gratiæ, quæ Deus in manibus eorum collocavit. Omnia a Deo ſunt, & ad Deum ſunt referenda. Auctoritas parentis in filios, & domini in ſervos, medium, quod tribuunt divitiæ erogandi eleemoſynam, exiſtimatio, qua apud Principes viros fruimur; omnes optimæ qualitates ſeu mentis, ſeu corporis, veluti robur, bona valetudo, ratio, vis intelligendi &c. Dives, qui pauperi non opitulatur; ſuperior, qui Deum a ſubditis ſuis adorari non jubet; amicus principis qui ſua non utitur amicitia prohibiturus, ne innocens opprimatur, totidem ſunt ſervi infideles, qui Domino ſuo non afferunt lucrum, quod ex credita ipſis pecunia præſtolatur. Omnia prodeſſe poſſunt; omnia animæ fideli ſunt talenti loco. Illi ipſi, qui nihil facere poteſt, ipſa impotentia ſua talentum fuit, quod refert Domino, ſi ideo ſe minus audacem, magiſque humilem, docilemque præſtat &c. Simus tantum boni ſervi, & amemus eum, cui ſervimus, nec deerit nobis, quomodo undique educamus incrementum gloriæ Dei, & ſalutem animarum ad hujus Eccleſiaſtici viri imitationem. *Idem*.

Apoſtoli teſte S. Paulo ſunt miniſtri Dei, & diſpenſatores myſteriorum illius.

Optaret S. Paulus, ut Apoſtoli haberentur tanquam Dei Miniſtri, & diſpenſatores myſteriorum illius, ſed fideles diſpenſatores, qui Jeſum Chriſtum tantummodo prædicant, non autem ſe ipſos; qui nolebant populos ſibi, ſed Jeſu Chriſto, cujus ſervi erant, adhærere, & in quo ipſi ſervi erant omnium, quibus annuntiabant Evangelium. Denique mites eſſe didicerant ad exemplum ejus, a quo miſſi fuerant tamquam agni inter lupos, ut mutarent lupos in agnos, eoſdem lenitate dumtaxat ſua, atque patientia ſuperantes, atque vincentes. Moyſes nequaquam ſeipſum poſuit Caput, & legiſlatorem populi, & Apoſtoli nequaquam ſe ipſos ad Apoſtolatum evexerunt. Elegit eos Jeſus e numero diſcipulorum ſuorum, & Evangelio teſte, illos vocavit, quos voluit. Itaque dicebat illis: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, ut eatis, & fructum afferatis, qui æternum manet. Simili ratione Deus Aaronem Moyſi fratrem, magnum populi ſui ſacerdotem conſtituit. Percuſſit fœdus æternum cum illo; ſacerdotium enim, quod illi contulit, manſurum erat in progenie illius, & duraturum, quandiu Judæorum lex, atque Religio erat duratura, videlicet uſque dum Jeſus Chriſtus veniret in terras, æternum inſtituturus Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech. Extulit autem Apoſtolos ad apicem novi hujus ſacerdotii, & loco magnificorum indumentorum, quibus Aaronem cooperuit, & Thiaræ, quam dedit illi; ornavit eos juſtitia, & virtutibus omnibus, quas Summi illius Sacerdotis ornatus ſignificabant. Dedit illis coronam gloriæ, & immortalitatis in mercedem laborum, quos in obeundis miniſteriis hujus vicibus perpeſſi ſunt. *Tourneux in anno Chriſtiano. Tomo* 11.

Miracula, quæ patrarunt Apoſtoli magnã obtinuerunt vim, ut homines in J. C. partes tranſirent.

Conſtat Apoſtolos inſignia edidiſſe miracula, miracula vero illorum magnam obtinuiſſe vim, ut quod de Jeſu Chriſto perhibebant, teſtimonium reciperetur. Non genus, non exiſtimatio, auctoritas, vis, divitiæ, ſæculi dignitates impellebant populos ad audiendos Apoſtolos; ſed cum viderent, S. Auguſtinus ait, homines loquentes omnibus omnium gentium linguis, cum viderent S. Petrum curantem claudum dicendo, *In nomine Jeſu Chriſti ſurge, & ambula*, cum viderent lintea, quæ tetigerant Apoſtoli, morbis ſalutem afferre, eorumque umbram eumdem gignere effectum; cum intuerentur tot alia miracula, quæ in ſacris canonibus referuntur, & quorum auctoritas in dubium revocari non poteſt; hæc populum captivabant, hæc palam oſtendebant, eos, quibus erat facultas hæc operandi portenta, a Deo miſſos fuiſſe. Miracula, quæ patrarunt Apoſtoli, illis vim contulerunt, ut mundum converterent, & mundus converſus argumentum eſt Apoſtolos magna operatos fuiſſe miracula. Quare S. Auguſtinus dixit, ſi mundus ſine miraculis converſus fuiſſet, hoc fuiſſe futurum miraculorum omnium maximum, quæ aſſerimus facta fuiſſe, & profuiſſe, ut chriſtiana Religio inſtitueretur. *In Anno Evangelico Lambert. Tomo* 3.

Apoſtoli perhibentes teſtimoniũ J. C. Spiritu Sancto erant afflati.

Spiritus Sanctus teſtimonium perhibuit Jeſu Chriſto, cum Apoſtoli illud divino huic Salvatori perhibuerunt. Quorſum iſtud? quia cum Apoſtoli prædicaverunt, illuminati, afflatique erant Spiritu Sancto, qui eos confirmabat, & per os illorum loquebatur. Non eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus Patris mei qui loquitur in vobis. In Evangelio dixit Deus Apoſtolis ſuis: Teſtimonium perhibebitis de me: ſed antea dixerat, Spiritus Sanctus perhibebit teſtimonium de me; quod palam oſtendit tunc dum aſſerebat Apoſtolos de ſe teſtimonium perhibituros, innuere voluiſſe, Spiritum Sanctum illis vim, animoſque additurum, vel potius ſpiritum ipſum per os Apoſtolorum prolaturum eſſe Evangelium in mundo univerſo. *Ibidem*.

Apoſtoli ſuum obeũtes miniſterium non alios motus ſequebãtur, quam Spir. Sancti.

Apoſtoli in Sacri Miniſterii ſui exercitatione, non alios motus ſequebantur, quam quos Spiritus Sanctus illis inſpirabat. Neminem attollunt ad ſacrum hoc miniſterium, niſi quem certo ſciunt Spiritu Sancto repletum. Cum Domini Miniſtros mittunt, eligunt illos ſecundum divini Spiritus imperium, & afflatum. Cum congregati erant in Conciliis, illud ſtatuebant, quod ipſis, & Spiritui Sancto videbatur: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*. (*Act*. 15.) Cum quis illos audire detrectat, non verentur aſſerere, Spiritui Sancto reſiſtere. Inter teterrima ſui Apoſtolatus tormenta, eos Spiritus Sanctus conſolabatur, confirmabat, ac replebat lætitia. *Idem*.

Apoſtoli non timuerunt minas, vel tormenta ut J. C. teſtimoniũ perhiberẽt.

Apoſtoli quot in locis Jeſu Chriſto teſtimonium perhibuerunt? Qua vi, qua conſtantia? Minas contempſerunt; ſemper præſto fuerunt, ut vitam effunderent; ſuppliciorum metus illos non terruit; multos adierunt locos, quin ſcirent, quid ſibi eſſet eventurum, niſi quod Spiritus Sanctus illos ſubinde admonebat, illos vincula, ærumnaſque manere. Quodnam illorum ſolatium fuit? Licet muneribus ſuis obeundis eſſent intenti, horis ſucceſſivis manibus ſuis artem aliquam exercebant, ne cuiquam graves eſſent. Gloria, quam ardentiſſime appetebant, erat in extrema rerum omnium inopia vivere, & nihil recipere ab illis, quibus Evangelii divitias communicabant. Mori maluiſſent, quam pati gloriam hanc ſibi præripi. Quænam fuit eorum perſeverantia? Ad finem uſque fideles fuerunt. Prædicaverunt in ipſis carnificum manibus poſiti, coram tyrannis, iis in locis, ubi vitæ jacturam erant ſubituri. Suppliciorum aſpectus illis addebat animos; duplex illis erat gaudium, annuntiare Evangelium, ac illud annuntiantes pati. Numquam zelus eorum erat ardentior, nec major lætitia, quam cum tempus imminebat reddendi rationem illi, a quo miſſi fuerant. Hæc omnia ob oculos J. C. verſabantur, cum dicebat fore, ut Apoſtoli de ſe teſtimonium perhiberent. *In Anno Evangelico. Tomo* 3.

Verum teſtimonium, quod reddiderunt Apoſtoli de eo, quod ipſi viderant.

Vult Dei Filius, eos, quos eligit ad annuntiandum Evangelium ſuum, teſtes fuiſſe actionum vitæ ſuæ, ut eorum teſtimonium majorem vim obtineret, cum dicere poſſent: Nos ſcimus veritates, quas annuntiamus vobis, non ſolum quod ab aliis eas acceperimus; ſed teſtes ſumus vitæ, miraculorum, mortis, & reſurrectionis Salvatoris, quem prædicamus. Hinc Apoſtoli in omnibus fere ſermonibus ſuis repetebant, ſe teſtes eſſe veritatum quas annuntiabant. S. Petrus in Sermone, quem habuit ad Judæos, ſimul ac recepit Spir. Sanctum, ait: *Hinc Jeſum reſuſcitavit Deus, cujus omnes nos teſtes ſumus*, Et alibi, *Et nos teſtes ſumus omnium, quæ fecit in regione Judæorum, & Jeruſalem, quæ occiderunt ſuſpendentes in ligno. Hunc Deus ſuſcitavit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri, non omni populo, ſed teſtibus præordinatis a Deo, nobis qui manducavimus, & bibimus cum illo, poſtquam reſurrexit a mortuis. Non enim*, idem Apoſtolus inquit, *doctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri J. C. virtutem, & præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis* (2.*Pet*.1.16.); & S. Joannes: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ: & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis*. (1.*Jo*: 11.) Admiramini confidentiam, qua loquuntur Apoſtoli: Nos vidimus, nos attrectavimus: quod ſane authenticum eſt ſinceritatis eorum argumentum. Veritas habet characteres, ex quibus facile cognoſcitur; ſed mortales homines nunquam præbuerunt certiora ſuæ ſinceritatis ſpecimina, quam Apoſtoli. Inter cruciatus Sermonem non mutabant; percutite, carnifices, torquete, rabiem veſtram expromite, pacificas laniate victimas, ſaturamini cruore juſti, ac innocentis; non alia extorquebitis verba: Nos teſtes ſumus, nos vidimus, nos attrectavimus, & tales morimur. *Idem*.

Sumus Salvatoris diſcipuli util.

Si Apoſtoli ideo ad hunc apicem evecti fuerunt, ut J. Chriſto redderent teſtimonium, nos quoque divini hujus Salvatoris Diſcipuli ſumus; ut illi teſtimonium perhibeamus,

& ille

ni teſtimonium perhibeamus ad Apoſtolorũ exemplum.

& ille nobis univerſis dicit: Teſtimonium perhibebitis de me. At non prædicando Evangelium dumtaxat illi perhibetur teſtimonium, ut ab Apoſtolis; neque enim omnibus Chriſtianis mandatum eſt, ut prædicent Evangelium, & nihilominus Chriſtiani omnes ineluctabili tenentur neceſſitate perhibendi Jeſu Chriſto teſtimonium. Quid ſignificat perhiberi ab hominibus teſtimonium J. C. Satin'ad id eſt ſacro ablutos eſſe baptiſmate? credere in illum? Eccleſiæ ſacramenta recipere? exteriores quaſdam actiones peragere, quas nobis præſcribit Religio? Non ita profecto. Hæc ſatis non ſunt. Videte opera mea, dicebat Dei Filius, *ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me. In anno Evangelico. Tomo 3.*

Idem ſequitur argumentum.

Vultiſne ſerio ad examen vocare, utrum teſtimonium Jeſu Chriſto reddatis? videamus opera veſtra. Quantum temporis inſumitis in Oratione? Num vobis curæ eſt, ut voſmet proſternatis coram Deo, ut coram illo voſmet exinaniatis? Ullane mortificationis opera facitis? Poteſtiſne hoc vobiſmet teſtimonium perhibere, voſmet vobis vim inferre, vobiſmet interdicere quaſdam voluptates, voſmet ſtudiis veſtris adverſari? quam patientes ſubitis tribulationes, quibus vita veſtra agitatur? Quonam oculo illum excipitis inimicum, a quo vos læſos fuiſſe contumelia exiſtimatis? Effunditiſne in pauperum ſinum partem eorum bonorum, quibus vos Deus cumulavit? Intueamur opera veſtra. Fides ſine operibus mortua eſt, ut inquit S. Jacobus. (*Jacob.* 15.) Non omnes, qui dixerint: Domine, Domine, intrabunt in regnum cælorum; (*Matth.* 7.) ſed ille tantum qui Patris mei voluntatem perficiet, & multis bonis operibus teſtatur, ſe fideliter, & peramanter ſervire Deo. *Idem.*

Jeſus Apoſtolis ſuis ſignificare voluit, ſi piſcantes plurimum piſcium ceperint, uberes relaturos eſſe victorias prædicando Evangelium.

Magnam piſcium vim ceperunt Apoſtoli, cum in Domini verbo retia jecerunt; & per hoc illis innuere voluit, quanta futura eſſet multitudo converſionum, quas facturi erant, ubi in nomine ipſius prædicarent Evangelium. Neceſſe erat, ut Filius Dei ſæpe repeteret Apoſtolis hanc magni momenti veritatem. Opus, quod illis commiſit, erat adeo difficile, ut numquam illud ſuſcipere fuiſſent auſi, niſi Magiſtri, Dominique ſui verbum illos ſuſtinuiſſet. Noſtis obices, quos ſuperarunt Apoſtoli. Quis illos ſuſtinuit inter tot pericula, quæ evitare nequaquam poſſe videbantur? Quis illos ſuſtinuit, cum omnes humanæ vires coaleſcerent contra infirmos homines, quibus nulla erant arma, quibus ſe tuerentur, præter invictam patientiam? Dei verbum illos reddebat fortiores ſupra omnes terræ, ac inferorum poteſtates ſimul in eorum excidium conjuratas. Neceſſe igitur erat, ut verbum hoc Domini ſui altius infixum cordi eorum inhæreret; quoniam omnis erat eorum fortitudo, atque præſidium. En cur Salvator mundi illos ad ſacrum evocans miniſterium incipit illis miraculo oſtendere quinam futurus eſſet laborum ipſorum eventus. Effectus Salvatoris oraculo reſpondit. Quid accidit ſtatim ac Apoſtoli laxaverunt retia ſua in verbo Domini? Quam jucundum eſt meditari Salvatoris vaticinia, eorumque complementum conſiderare? Anima attollitur; Dei digitus agnoſcitur, cum accuratius ad examen vocatur, quod nobis narratur de Evangelii progreſſibus in actibus Apoſtolorum, & in Scriptis Patrum Eccleſiæ. Hinc evincitur, ſolam Evangelii prædicationem demonſtrare poſſe, citra omnem controverſiam Chriſtianæ Religionis divinitatem. Hinc evincitur nonniſi Deum perſuadere potuiſſe Apoſtolos de eventu adeo difficili, & qui toto cælo captum eorum, ac humeros excedebat. Hinc evincitur, fieri nequaquam potuiſſe, ut promiſſio Filii Dei adimpleretur per Apoſtolorum miniſterium, niſi Deus eorum dux fuiſſet, atque præſidium. S. Petrus ad quem Jeſus Chriſtus potiſſimum ſe converterat, & cui dixerat; *duc in altum, & laxate retia in capturam?* (*Luc.* 5. 4.) S. Petrus inquam laxavit rete in verbo Domini. In prima concione convertit tria hominum millia, in altera vero quinque millia. Hoc legimus in ſecundo, tertio, & quarto capite actorum Apoſtolicorum. Macti ergo hoc animo divini Piſcatores, retia veſtra laxate in capturam. Incipitis experiri effectus promiſſionis Jeſu Chriſti. *In anno Evangelico tom. 3.*

J. C. confortavit Apoſtolos, & ſuſtinet Eccleſiam.

Quis eſt ille, qui deduxit Apoſtolos, qui magnam hanc capturam fecerunt piſcando, cujus captura Evangelica non aliud eſt, quam umbra, & figura? Quiſnam confortavit Apoſtolos cum mundum univerſum verbo ſubegere? Quis eſt Jeſus Chriſtus, in cujus nomine jecerunt retia? Quis eſt, qui ſuſtinet Eccleſiam circumundique laceſſitam, ſive ab illis, qui eam deſeruerunt, ſeu ab illis, qui in illius ſinu ſunt, ſed illam dedecorant vivendi genere, quod ab Evangelicis abhorret inſtitutis? Hic eſt Dei Filius, Sponſus Eccleſiæ, illius fortitudo, atque præſidium: quæ licet jugibus oppugnata fuerit hoſtibus, ſemper tamen victoriam reportavit Ne quæratis igitur aliam cauſſam præter illam, quam affert S. Paulus. Videlicet, quia Jeſus Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ, quæ illius corpus eſt, & cujus etiam Salvator eſt. Eccleſia ſubjecta eſt Filio Dei: Filius Dei amat Eccleſiam, & mortem ſubiit propter illam. *Ibidem.*

Æque infirmi ſumus ac Apoſtoli, ſed cum illis in Deo confidere debemus.

Sumus infirmi; nihil poſſumus ex nobiſmetipſis. Æque calamitoſi, ac Apoſtoli totam noctem laborantes nihil cepimus. Sed Jeſum Chriſtum adeamus, laxemus retia in verbo ejus, & confirmabimur. Si adhæſeritis Salvatori, ſi Sanguis illius effuſus ſuper vos, abluerit, & emundaverit vos; ſi ſecuti fueritis Evangelii ejuſdem præcepta, quantacumque fuerit infirmitas veſtra, eritis in numero fortium. Qui mundum univerſum devicit, omnes proſternet obices, quos in medio cordis veſtri experimini. Sed ut eatis ad Filium Dei, neceſſe eſt, ut cognoſcatis eas animi præparationes, quas divinus hic Salvator requirit in vobis. Hæ autem in Evangelio connotatæ ſunt. *In anno Evangelico tomo 3.*

Quomodo Judæi excipiebãt Apoſtolos, qui Synagogas eorum frequentabant ut ibi docerent, ſicut juſſi erant a Domino.

Apoſtoli Inſtitutoris ſui mandatum ſecuti, ſtatim in Judæorum Synagogas ingrediuntur, ſed quomodonam illic excipiuntur? Plerique contra illos inſurgunt, hos de urbibus, oppidiſque ejiciunt, eoſque lapidibus petunt. Gentiles vero ſe magis dociles præbent, & Apoſtolorum miraculis victas dant manus. Judæi pervertere ſtudent eos, quos Apoſtoli converterant. Illi ipſi, qui non ita pridem Apoſtolis thura offerre cupiebant, in eos lapidibus irruunt. De Judæorum ſævitia vel hoc eſto judicium quod narratur in actis c. 14. Hi ſunt eventus illi triſtes, quos Dei Filius ſpectabat, cum in parabola quadam dicebat, futurum ut Judæi accedere minime vellent; Judæos irruturos eſſe in ſervos Dei, & eos ſuppliciis, & contumeliis affectos eſſe occiſuros. In alia parabola graviſſimum illorum ſcelus Mundi Salvator indigitat, Patremfamilias poſtquam ad illos ingentem ſervorum numerum miſiſſet, noviſſimis temporibus miſiſſe quoque Filium ſuum, ſecum hæc cogitantem: *Verentur filium meum.* (*Matth.* 21.) Sed barbaros illos videntes filium dixiſſe: *Hic eſt heres, venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem ejus.* Tot ſcelera ſceleribus congeſta Judæis conflarunt terribilem hanc damnationem, de qua loquitur in Evangelio. *Idem tomo 4.*

Exemplum S. Pauli pro Apoſtolicis viris quod noſter Apoſtolus perfecte adimplevit.

S. Paulus Apoſtolus in communibus fidelium cœtibus non eodem modo loquebatur, quo coram Judicibus Areopagi, & rege Agrippa. Sed quomodocumque loqueretur, ſemper in illo loquebatur Spiritus Sanctus. Vituperandi non ſunt omnes Apoſtolici viri, qui diſerte, atque eleganter ſenſus ſuos exprimunt, neque laudandi illi, qui omnem dicendi curam, ac ſtudium ſe negligere profitentur? Sunt qui inficete loqui non poſſunt, & homines cuperent, ut illi concionaturi, ſermonis elegantiam corrumperent. Sunt, qui nonniſi humili, ac pedeſtri oratione ſenſus ſuos valent exprimere, & æquum eſſet eorum vitium in virtutem traducere. Diſcrimen inter Evangelicum, & mundi Concionatorem eſt finis utriuſque; ſi enim eſt finis, qui habendus eſt, videlicet Dei gloria, & ſalus animarum, hic a ſermone ſuo amovebit quidquid ab hoc fine abhorret. Profecto curioſæ cogitationes, humanæ ſcientiæ acumina, fucus humanæ eloquentiæ, neque Deum glorificare poſſunt, neque erudire auditores. Hæc, ut loquitur Apoſtolus, infirmant, ac debilitant virtutem Crucis Jeſu Chriſti; non licent amplius modo, quæ olim licebant, cum Crux iſta prædicari incipiebat. Sacer Orator verborum elegantia nequaquam perſuadebit hominibus, ut illam amplectantur; natura abhorret, & ſi minus aures, cor ſaltem obſtruit. Sed Sanctus hic Apoſtolus inceſſanter quærens conditionem, ingenium, mentem auditorum ſuorum cognoſcere, ſe ſingulorum captui ſubmiſit. *Homilia D. Godeau.*

Felicitas Apoſtolicorum virorũ, qui a Deo miſſi ſunt.

Facile eſt cognoſcere quantæ facilitatis ſit a Deo mitti, & verbis illius omnibus hominibus pacem annuntiare. Si quid arcere poſſet homines a munere adeo ſublimi, id ſane fuiſſent omnes perſecutiones, quæ ad Apoſtolicum munus exhauriendum erant ſubeundæ. Sed Jeſus Chriſtus oſtendit, licet perſecutiones illæ deterrere debuiſſent, ne homines ſe penitus devoverent ſervitio fratrum ſuorum, eaſdem pati novum eſſe beatitudinis genus: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* (*Matt.* 5.) Beatitudinis genus eſt pro Jeſu Chriſto pati. Magnæ illius curæ fuit hanc maximi momenti veritatem iterare Apoſtolis ſuis. Neceſſe erat, ut hoc illis alta mente repoſitum inhæreret, miniſterii ſui munia obeuntibus, ne periculis deterrerentur. Numquam majori exultaverunt gaudio Apoſtoli, quam cum hominum furori patebant; illos enim J. C. verbum confortabat. Quomodonam conqueri potuiſſent, vel infelices ſe credere, cum Dei Filius illis declaraverat, ipſos beatos eſſe, quia pro juſtitia paſſi fuerant perſecutionem? *Idem.*

J. C. replevit Apoſtolos ſuos zelo.

Jeſus Chriſtus zelo plenus ſpiritum ſuum Apoſtolis ſuis communicavit, eoſque zelo replevit, ut ſtatus ſui muneribus rite perfungerentur. Zelus hic prorſus erat Apoſtolis neceſſarius; & ſane procul dubio maximus requirebatur zelus ad exequenda ea, quæ illi præceperat Jeſus Chriſtus. (*Matt.* 10. 16.) Apoſtolis prodeundum erat coram Regibus, ac Præſidibus provinciarum. Homines timidi, ac zelo vacui conſilium ne inire potuiſſent enuntiandi J. C. fidem, cum omnibus in locis hæc fides impugnaretur, cum ad Evangelii miniſtros deterrendos teterrimæ adhibebantur minæ, & illi non aliam laborum ſuorum mercedem ſperare poterant, niſi graviſſima ſupplicia? Primum illud in Apoſtolis requirebatur, ut parati eſſent vitæ ſuæ exponendæ in ſingula momenta pro fratrum ſalute. Jeſus Chriſtus jam dixerat: *majorem caritatem nemo habet, quam ut ponat quis animam ſuam pro amicis ſuis.* (*Joann.* 15.) Ex quo Apoſtoli ſe ſe devoverunt Jeſu Chriſto, nihil illis antiquius erat, & jucundius, quam ut fratribus ſuis hoc argumentum amoris conferrent. Omnes homines facti ſunt eorum amici. Sed amici dilecti, amici, pro quibus ſi ſalutem impendere valeant, ſe beatos putant, præſertim vero cum agitur de iis, qui diliguntur, ab erroris via deducendis, eoſque in viam adducendis, quæ ducit ad Deum. *Lambert in vita Eccleſiaſtica tomo 2.*

Mirabilia quæ fecerũt Apoſtoli prædicantes Evangeliũ.

Dignatus eſt Jeſus Chriſtus ſibi in operis tanti ſocios homines

eligere; quibus in ſocietatem admiſſis, ſignificavit, illos ad finem perducturos opus, quod ipſe inchoaverat, & in honorem ipſorum ceſſurum eſſe, annuntiare veritates, quas illis revelaverat. Dixit Apoſtolis ſuis: *Euntes prædicate.* Paruerunt Apoſtoli. Iverunt, & ubique Salvatoris Evangelium annuntiaverunt. In Apoſtolorum actis legimus, fideles ſimul congregari conſueviſſe, atque in cœtibus ſuis tempus terere ſolitos fuiſſe audiendo Apoſtolorum Doctrinam, ſumma cum pietate Domini corpore ſeſe reficiendo, & orando. Audiebant Apoſtolorum doctrinam, videlicet, doctrinam, quam a Jeſu Chriſto acceperant Apoſtoli; ac Apoſtolis curæ erat illis divinam hanc eſcam diſtribuere; & Apoſtoli eo majori cum labore prædicabant, quia doctrinæ ipſorum omnes adverſabantur. Verum eſt, eos a quibus habiti fuerant, tanquam inimici, ubi eis aures præbuiſſent, vi verbi eorum reſiſtere non potuiſſe, & factos fuiſſe eorum ferventiſſimos amatores. (*Matth.* 10. 14.) Sed ſæpe etiam repellebantur Apoſtoli; ac tenebantur parere verbo Domini, & de oppidis exeuntes excutere pulverem pedum ſuorum, videntes, urbes illas in die Judicii ſeverius eſſe plectendas, quam Sodoma, & Gomorrha. Contradictiones nunquam retardarunt zelum Apoſtolorum. Quo magis impugnabantur, eo magis conabantur ut annuntiarent, & explicarent Evangelicas veritates. Munus hoc illis videbatur adeo gravis momenti, ut in hoc dies nocteſque ſimul impenderent. In Apoſtolorum Actis legimus, cum Diſcipuli congregati erant, S. Paulum apud illos habuiſſe ſermonem quem uſque ad mediam noctem produxit; quod præbuit occaſionem inſigni miraculo, quod operatus eſt S. Paulus in gratiam adoleſcentis, cui vitam reſtituit in nomine, & auctoritate illius, cujus doctrinam prædicabat. *Idem.*

Apoſtolis inimicum erat omne genus humanum.

Putabant Ethnici ab Apoſtolis juges evomi blaſphemias, cum ab illis idololatrici cultus vanitas oſtendebatur. Judæi falſo rati Apoſtolos Legis ſuæ eſſe inimicos, merito ſibi vertebant, ſi eos inſectarentur. Imperatores, Principes, magiſtratus eos perſequebantur. Omnes illis obſtabant; circumundique nonniſi ſcopulos, præcipiteſque locos intuebantur; & ſatis aperte videbant in ſe terribile illud adimpleri vaticinium, quo illis prædixerat, futurum ut propter nomen ipſius ab omnibus in odio haberentur: *Odio eritis omnibus propter nomen meum. Lambert in anno Evangelico. Tomo 1.*

Quomodo S. noſter Apoſtolus Evangelium prædicaverit & in Eccleſia Prædicatores efformaverit.

Sanctus hic unus fuit ex illis, qui Gentibus Evangelium prædicavit, qui in Eccleſia Evangelii præcones inſtituit, & qui illis divinam hanc tradidit artem, quæ dæmoniis animas eripit, eaſque J. Chriſto lucratur. Hic Gentibus ineffabilia Chriſtianæ Religionis aperuit myſteria; hic timore, ac ſtupore perculſit Philoſophos, & Reges, eoſque coegit credere, vel admirari veritates Evangelii. Magnus hic Apoſtolus, qui licet divino illuſtratus eſſet lumine, tamen ignorabat, Gentes ad veritatis cognitionem evocatas fuiſſe, ad eos verba facere non eſt auſus, niſi prius juſſu Filii Dei excitaretur. *In Panegyrico S. Pauli P. Senault. Tomo 2.*

Quomodo Sanctus hic operam navavit ut infideles converteret.

Si ingens, inſigniſque fuit prædicationis Apoſtoli noſtri ſucceſſus, hic illi multis quidem ſtetit curis, atque laboribus. Multorum annorum ſpatio minime ceſſavit, quo minus ex agro, quem colebat, ſpinas convelleret, illum plantaret, irrigaret, & uberem faceret. Quid autem in illo excolendo non pertulit? Integros abſumebat dies prædicando. Vix illi reliquum erat temporis momentum, quo corpus reficeret; refectio autem tanta erat, quanta vix naturæ ſatis eſſet. Quemadmodum fames illius erat ſalus animarum, cibus illius erat facere voluntatem Patris cæleſtis. Modo erudiebat infideles, modo gentes docebat, modo inviſebat ægrotantes, modo Sacerdotes efformabat, modo virgines hortabatur, modo baptizabat, modo manus imponebat, ut conferret Spiritum Sanctum, modo ſacris operabatur myſteriis. Noctem, quin feſſo reficiendo corpori impenderet, inſomnis tranſigebat in oratione, & contemplatione. A Deo petebat cum lacrimis robur, ac vires, quibus indigebat, ut miniſterii ſui laborem ſuſtineret. Coram ipſo omnem vitæ ſuæ rationem ad examen revocabat. Illi omnem gloriam referebat acceptam; eique gratias agebat maximas propter progreſſum, quem verbo ſuo referebat Evangelium. Cum vero de oratione ad contemplationem gradum faceret, quis fando explicare poteſt ſublimem cognitionem, quam Deus aperiebat illi magnalium ſuorum, ſuarumque veritatum? Hæc par erat amori Domini, a quo peramanter diligebatur, par magnitudini animæ ſuæ, quæ erat vas electionis, & par officio Doctoris Gentium, & Apoſtoli. *Elogium S. Pauli apud D. Godau, in libro, qui inſcriptus eſt: Elogium Epiſcoporum.*

Quo magis miniſtri Domini operam locant, ut ſerviant Deo, eo magis patent mundi perſecutionibus.

Apoſtoli actu vacabant exequendis Domini ſui imperiis, cum furenti procella agitati fuerunt. Obedientia, & fides miniſtrorum Evangelicorum non ſemper illos a tempeſtatibus incolumes præſtat; immo nunquam magis mundi perſecutionibus patent, quam cum majori cum zelo, & conſtantia divinis operibus vacant. Felices tribulationes! contradictiones glorioſæ! quam longe præſtatis omnibus hominum plauſibus, atque favoribus! Nolite ergo nimis has reformidare procellas; breves ſunt, earum vim patienter ſuſtinete; nihil enim tandem evincere poſſunt, niſi ut vos in portum citius perducant; Jeſus Chriſtus oculos habet inhærentes vobis; novit ille quod vos patimini, & quam ob cauſſam patiamini. Inimici veſtri fruſtra ſuam intentionem, & odiorum ſuorum cauſſam diſſimulant. Deus novit utrumque, hoc vobis ſufficiat, eorum violentia erit aliquando eorum quidem opprobrium, veſtra autem gloria. Suſtinete voſmet ſaltem diebus his tenebrarum per humilitatem, patientiam, & orationem; cetera Deo permittite. *Ex morali Novi Teſtamenti P. la Neuville tomo 4.*

Apoſtolicis viris receſſus amandus eſt.

Jeſus Chriſtus abſolutiſſimum Paſtorum exemplar, cognoſcit diſcipulorum ſuorum neceſſitates, aptat viribus eorum labores, rationem habet infirmitatis eorum, illis quietem procurat, & conſolatur Apoſtolatus eorum labores, ſolitudinis jucunditate. Licet exteriores Apoſtolicorum virorum occupationes afferant ſanctitatem, tamen neque nimis producendæ ſunt, neque ad exceſſum uſque perferendæ. Nimis prolixum, & frequens commercium cum filiis ſæculi, ut plurimum periculoſum eſt filiis lucis; ut zelum ſuum foveant, & alant, ſæpe ad Salvatorem redeundum eſt, ut ſubinde illum excitent, atque rurſus inflamment. Oratio, meditatio, ſui ipſius collectio, ſilentium ſunt divini hujus ignis nutrimenta: quæ ſi deſint, periculum eſt, ut ignis ille tepeſcat, & extinguatur. *Vita activa* utilis eſt proximo; *Vita contemplativa* nobiſmet eſt neceſſaria. Ad ſalutem fratrum noſtrorum cooperemur, ſed vacemus etiam propriæ perfectioni. Hic veræ caritatis eſt ordo; hunc negligere, ut aliam ſequamur regulam, non eſt amplius zelus, ingenium eſt, temperamentum, amor proprius, qui ſuapte natura magnæ lucis nitorem præfert caligini ſolitudinis. Si vultis eſſe perfecti, & Apoſtolos imitari, ſcitote Marthæ actionem cum Magdalenæ contemplatione conjungere. *Idem tomo 3.*

Neceſſe non eſt virum Apoſtolicum ſemper cum Hominibus verſari; ſæpe fratribus ſuis melius prodeſt ſolitudine, quam eruditis concionibus.

Neceſſe non eſt ad hoc ut hominibus proſis, te ſemper cum hominibus verſari. Vir Apoſtolicus magis prodeſt fratribus in allocutionibus ſuis cum Deo, quam documentis, vel patheticis concionibus ſuis. Moyſes populo Dei magis profuit orando, quam per ſe bella gerendo. Tempus, quod impendimus, ut ita dicam agentes cum Deo facie ad faciem, neſcio quem imprimit characterem gloriæ, atque ſanctitatis, qui illicit homines, eoſque reddit & obſequentiores, & dociliores. Nunquam melius, utiliuſque de Deo ſermo habetur, quam cum ipſe auditus fuit loquens in ſolitudine, atque in deſerto Prophetas, atque Apoſtolos finxit. Da nobis Domine pennas columbæ, ut avolemus tecum, & requiem capiamus in Montibus ſanctis, ubi oblectaris communicare te miniſtris tuis, illis loquens ad cor. O requies ſuavis! o ſancta ſolitudo! quot, & quantis polles illecebris in anima, quæ te cognoſcit! Quam libenter relinquitur Ægyptus ab iis, qui ſemel deſerti manna guſtaverunt! *P. la Neuville in libro, qui inſcribitur: Moralis novi Teſtamenti tomo 3.*

Quanta in Apoſtolicis viris neceſſitas requiratur.

Nihil ſubtilius quam ſuperbia, quam vanagloria, quam amor proprius: hæc vitia, quæ fere percipi nequeunt, ſine ſenſu obrepunt in cor Diſcipulorum, & ſub oculis Jeſu Chriſti. Sacer Character, quo miniſtri Evangelici præditi ſunt; ſublimis gloriæ vertex ad quem in Eccleſia ſublati ſunt; auctoritas, & poteſtas, quam acceperunt a Deo, niſi rite invigilaverint iis, quæ corde ipſorum aguntur, & tranſiguntur; ſæpe nimis uſuvenit, ut pereant per ea, quæ ſecundum Dei conſilia nobis prodeſſe deberent, ut noſmetipſos ſalvaremus aliorum ſalutem quærentes. Igitur vobiſmet ipſis invigilate, ſemper diffidite, nunquam ſatis intelligetis quam ſubdolus, calliduſque ſit amor proprius. Quantumvis optime vertant conatus veſtri; quantumvis niteant ſucceſſus conſiliorum veſtrorum, quantumvis ſancta videantur opera veſtra, mementote non *brachium veſtrum*, ſed virtutem Nominis Chriſti Jeſu operari in vobis; ideoque uni illi acceptam referendam eſſe omnem gloriam, quin vel minimam illius partem in voſmet detorqueatis. *Idem.*

Quantũ profuerit Apoſtolis vidiſſe Salvatorẽ & admiſſos fuiſſe in illius ſocietatem.

Felices Apoſtoli, felices Diſcipuli, qui adeo glorioſe, ſed ſatis prælati fuiſtis maximis Prophetis, ſanctiſſimiſque regibus ex domo Juda! Vos intuiti eſtis Redemptorem Iſrael, quem tandiu videre illi concupierant. Vos arctam cum illo iniiſtis neceſſitudinem, ejus veſtigia legiſtis, illum tanquam exemplar ſecuti eſtis, audiiſtis ſacra increatæ Sapientiæ oracula; Verbum illius auribus excepiſtis, & placita illius in praxim redegiſtis. En quid vos extulit quodammodo ſupra Jeremias, Danieles, Davides, Joſaphat. Verum, quis vetat, Domine, ne & ipſi iiſdem gloriemur prærogativis, & eamdem gloriam aſſequamur? Nos, quos naſci juſſiſti nunc temporis, quo tantum offers privilegium omnibus hominibus? Si hoc eſt eſſe beatum, vidiſſe te Jeſu, circumdatum infirmitatibus noſtris *per dies paſſibilis carnis tuæ*, quæ noſtra eſt beatitudo videre te hodierna die oculis fidei in ſplendoribus Sanctorum ſedentem a dextris Patris tui, applicantem nobis fructum Sanguinis tui, ac nutrientem nos immortali carne tua, & communicantem noſtræ eamdem immortalitatem? Numquid unquam noſtram hanc felicitatem ſatis perpendimus? Numquid illius ſenſu afficimur? Num hinc gratias habemus? Num inde ſatis proficimus? *P. la Neuville in libro, qui inſcribitur: Moralis novi Teſtamenti tomo 3.*

Effectus divinæ Providentiæ in eos, qui ſunt miniſtri Domini ab omni cupiditate alieni.

Dei Providentia, qui ſemper invigilat omnibus creaturarum ſuarum neceſſitatibus num deeſſe poteſt miniſtris fidelibus, qui ſibi gloriæ vertunt illi obedire, & nonniſi in promiſſionibus ejus confidere? Miniſter Evangelicus, qui alia ſibi aliunde quærit ſubſidia, nimia cum ſollicitudine, & anxietate metum ingerit, ne totum habeat ſtatus ſui ſpiritum. Quam rerum omnium abnegationem exigit Dei Filius a primis diſcipulis ſuis? Credimuſne ipſum aliquid minus expetere a nobis, qui in eorum miniſterium ſucceſſimus? Etſi character eſt idem, cur nos erimus diverſi? Juxta principium hoc, quod adeo ſolidum videtur, quoddam judicium ferendum eſt, a te

Do-

Domine, de ea cupiditate, qua me vides quotidie quærere, non ea ſolum, quæ neceſſaria ſunt, verum etiam ſuperflua, & commoda, & ad victus elegantiam ſpectantia, & fortaſſe etiam magnifica, quæ filii ſæculi vix ſibimet audent permittere? Probas quidem Domine, ſi ex miniſterio meo victum meum ſumpſero, cetera vero ſevere interdicis, & minitaris te aliquando rationem expetiturum. Tuus igitur amor, vel timor jugulet in me cupiditatem iſtam, quæ ſeſe inter arctos cancellos, quos illi præſcribis, continere non patitur. *Idem.*

Viro Apoſtolico non alia voluntas eſt, quã Domini ſui.

Qui vere Miniſter eſt Apoſtolicus nullo habet in diſcrimine locum hunc, vel alium: quærit ſemper Domini voluntatem, neque propria illum agitat voluntas. Cum Dei mandatum non ſatis illi manifeſtum eſt, humilitas ejus loquitur pro pauperibus, efficitque, ut vicos, & pagos obſcuriſſimos celeberrimis civitatibus præferat, quia meſſis ibi plerumque copioſior eſt, & fructus ſunt minus obnoxii verbis ſuperbiæ, & vanitatis. Domus maxime ſimplices, omnibuſque vitæ commoditatibus carentes, vulgo ſanctiſſimæ habentur, ideoque illæ, quæ Apoſtolis digniores ſunt, illæ ſunt, qua Jeſus Chriſtus deſtinat miniſtris ſuis, ubi illi conſtanter permanere debent, quin tædio afficiantur. Quantumvis ſolida ſit virtus Miſſionarii, non ideo ſatis probata fuit per omnia pericula, quæ ſæpe inveniuntur in domibus Principum, vel peccatorum. Tutius latet apud virum bonum, vel per pauperem. Humilitas, & mortificatio, quæ ibi exercetur, ſunt jam conciones eloquentiſſimæ, & efficaces. *Moralis novi Teſtamenti P. la Neuville. Tom. 3.*

Eleemoſyna per amorem J. C. miniſtris ejus collata ſemper efficit locupletiores.

Eleemoſyna quæcumque illa tandem ſit nunquam pauperes facit, quæ vero fit propter amorem J. C. ſemper efficit locupletes. Conſcientiæ pax, gaudium Spiritus Sancti comitantur quocumque Apoſtolos, ac in omnibus locis ſedem ſuam figunt, ubi nullum formalem obicem inveniunt. Domini Verbum explicitum eſt, qui recipit Diſcipulum, cooperatur operi illius, & accedit in partem mercedis ejuſdem. Miraculum peractum in gratiam viduæ Sareptanæ adhuc inſtauratur crebro in lege gratiæ. Quot benedictiones etiam temporales promerentur Miſſionarii precibus ſuis in domos, quæ ſunt eorum perfugium? Cæleſtium divitiarum ſequeſtres, non ne poterunt terræ bona procurare egenti familiæ, quæ in ipſa paupertate ſua eleemoſynam erogaret? Nunquam te liberalitate vinci ſinis, o Deus! reddis centuplum in hoc etiam mundo, eorum quæ in nomine tuo erogantur. *Idem.*

Quomodo fideles eſſe valeant participes meritorum & mercedis Apoſtolorum.

Non omnes Apoſtoli ſunt, neque Domini Prophetæ, S. Paulus ait; poſſunt tamen omnes participes fieri meritorum, atque mercedis Apoſtolorum, atque Prophetarum. Quo pacto? Illis opem ferendo eleemoſynis, illos auctoritate fulciendo, illos exiſtimatione ſua protegendo, laboribus eorum compatiendo, illos in tribulationibus conſolando, conſtanter cum illis, & pro illis preces offerendo. Per hæc opera miſericordiæ Laicus ſæpe cum Sacerdotio ſe conſociatum nanciſcitur per interiorem ſecretamque unctionem, quæ illum reddit æque acceptum in oculis Dei, atque laborioſiſſimum, frugiferumque miniſtrum. Heu! ſi intelligere velimus quouſque pergat meritum Chriſtiani aliqua ex parte aliquid conferentis ad inſtitutionem Regni Dei, ad converſionem animæ unius, quanta feſtinatione conaremur conferre aliquid ad opus ita glorioſum, & ſanctum? Heu! Opes, quæ in noſtrum cedunt exitium, ſæpe ſufficerent ad integras Provincias Domino lucrandas. Quod intra anni unius ſpatium in alea, & ſpectaculis inſumis, utilius inſumeretur, facerentque te Apoſtolum immenſi infidelium, vel peccatorum numeri. Converſio illorum tuam confirmaret; & fortaſſe conſummaret opus tuæ prædeſtinationis ad gloriam. *Moralis Novi Teſtamenti P. la Neuville, tomo 3.*

Si viri Apoſtolici non ſatagunt ſe ſe idẽtidem colligere, & ad preces ſe cõferre, Periculum adeunt, ut ſe ipſos perdant.

In Evangelio nihil eſt inutile, omnia ibi erudiunt, omnia ædificant animam attentam, ſcientem legere illud ſecundum ſpiritum, quo ſcriptum fuit. Quot utilia argumenta in ſola circumſtantia de Apoſtolis poſt miſſionem redeuntibus! Se ſe congregant apud Jeſum. Licet opera Caritatis, & Zeli per ſe ſancta ſint, ſemper metuendum eſt tamen, ne, ſi diligens habeatur cura, nimis diſſipent, & imminuant aliquando ſenſibilis pietatis unctionem. Ad hunc ſcopulum evitandum ſemper invigilemus ſpiritui, & cordi noſtro; ne ſinamus unquam trahi impetu naturæ noſtræ. Labores, ſtudium, occupationes vitæ activæ nos licet invitos diſtrahunt. Curæ igitur ſit nobis, ut identidem interpellemus per Orationem exteriores noſtri miniſterii exercitationes; ne avertamus unquam, ſi fieri poteſt, oculos ab intuitu divini Inſtitutoris noſtri, qui nos applicat operi; interior illius præſentia nos fulciet inter labores, & nos confirmabit. Redeamus ſæpe ad Jeſu Chriſti pedes noſtras reparaturi vires, eumque in rebus ambiguis conſulturi, opem impetraturi, noſtrum fervorem ſervaturi, vel excitaturi, ſi quando per negligentiam, vel infirmitatem noſtram tepeſceret. *Idem.*

Ratio ab Apoſtolis reddenda Deo de omnibus iis, quæ acciderint in ipſorũ miſſione.

Apoſtoli accurate, ac prolixe narraverunt Salvatori omnia, quæ illis in Apoſtolica ſua excurſione contigerant. Hoc exemplar eſt Miniſtrorum Evangelii, eorumque omnium, qui extrinſecus operam locant, ut proximo opitulentur. Reddite rationem Jeſu Chriſto: videlicet 1. Coram illo ad examen vocate, utrum ratio, quæ vos ad agendum impulit, pura fuerit, & intentio recta: utrum lapſi fueritis ob nimiam feſtinationem, an ob nimiam cunctationem: utrum omnis ratio noſtra æque fuerit cum *ſerpentis prudentia, & columbæ ſimplicitate* conjuncta. 2. Deo uni acceptam referte gloriam ſucceſſus, quem ille tribuit laboribus veſtris, quin inde vobis aliquam particulam vindicetis. 3. Gemite coram illo propter cæcitatem, & infidelitatem populorum, qui repulerunt verbum ſalutis, vel qui inde perceperunt fructum, qui illis erat percipiendus. Talis character eſt ſervi prudentis, atque fidelis, cui commiſit Dominus curam familiæ ſuæ. Eſt fidelitas, zelus, ſapientia muneri huic adeo ſancto, atque ſanctificanti neceſſaria? Pete ergo has virtutes a Patre luminum, labora cum auxilio gratiæ ſuæ ut illas adquiras, & ne ingeras te ſacris miniſteriis, niſi poſtquam illas adquiſiveris; alioquin multa peccabis, & exiguum referes fructum. *Moralis Novi Teſtamenti Patris la Neuville. Tomo 3.*

Diſcipulus Jeſu Chriſti gloriari non debet de talentis, quæ a Domino accepit.

Quam male cognoſcit Jeſu Chriſti Diſcipulus Magiſtri ſui characterem! Quam parum aſſequitur ſpiritum vocationis ſuæ, ubi gaudium ſuum conſtituit in exteriori gloria, quæ nonnunquam illius laborem ſubſequitur! Si animum adjungeret ad Dei conſilia intelligenda, inveniret ſæpe in glorioſiſſimis muneribus ſuis, plura pudoris, quam gloriæ argumenta. Benedictio, quam ſuper labores veſtros effundere Domino placuit, minus ad vos, quam ad proximum veſtrum ſpectat. Igitur vani eſtis ineptique, ſi gloriamini de bono, cujus adeo modica pars ad vos pertinet; ſed licet ad vos maxime pertineret, num æquum eſt, ut occupet cor, quod de Deo tantum replendum eſt? Infirma eventuum præclariſſimorum inſtrumenta, quid in illis invenitis, quod vobis ſit proprium, & de quo jure gloriari valeatis? Quæ perſonis veſtris inhærent animi dotes, ingenium, eloquentia, quæ in vobis eſt, veſtra non ſunt; & nimis vobis periculoſum eſt oculos conjicere in hæc naturalia talenta; num potiori jure licebit vobis intueri gratias ſupernaturales, & mere gratuitas, quas Spiritus Sanctus vobis largitus eſt tanquam bonum alienum, quod unice ceſſurum eſt in fratrum veſtrorum utilitatem? Igitur te ipſum conſidera tanquam œconomum; fidelis eſto in harum divitiarum diſpenſatione; neque adeo inſipiens eſto, ut te inflet theſaurorum magnitudo, quorum nihil habes niſi adminiſtrationem. *Idem.*

Progreſſus quam brevi retulit N. in domo Domini.

Sanctus N. exiguum ſane temporis ſpatium tranſegit in domo Domini, & repletus fuit ſpiritu Apoſtolico. Heu! quot annos vivis, ut ita dicam, familiariter cum Domino, domi ipſius, ubi tam crebro refectus fuiſti carnibus ejus, quin adhuc potueris ſpiritu ejuſdem animari? Quid ille produxit in te atque in fratribus tuis? Si ſtatus tuus non patitur, ut in exterioribus Apoſtolatus muneribus te exerceas, Sanctæ Thereſiæ exemplo debes ſaltem te in ſpiritu ſocium addicere Miniſtris Apoſtolicis, illis precibus tuis afferre ſuppetias, de illorum ſucceſſu lætari, in partem accedere laborum ſuorum, miſereri peccatorum, cupere ut Jeſus Chriſtus illos tangat, & illuminet, hoc ſæpe ab eodem in commune deprecari, & ad hoc facilius impetrandum exercere preces, ac mortificationes. Caritas ingenioſa eſt in adinveniendis viis, per quas procuremus gloriam ejus, quem diligimus. *Moralis Novi Teſtamenti Patris la Neuville, tomo 1.*

Jeſu Chriſtus excuſabat Apoſtolos ſuos qui una ſecum aliquando cõviviis intererant.

Jeſus Chriſtus excuſavit factum Apoſtolorum, qui cum ipſo, & ad ejus imperium mundanorum conviviis intererant; volebat enim ex eo tempore tradere illis ſapiens illud placitum, quod S. Paulus exercere callebat, & quod explicite docuit primos fideles, quos ad Evangelii vitam informare ſtudebat. *Scio*, dicebat illis, *Scio & humiliari, ſcio & abundare, & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* (*Ad Philipp.* 4.12.) Talis erat vita, & diſpoſitio Apoſtoli, & ita nos quoque effecti eſſe debemus. Nobis erit ſecundum ordinem Providentiæ modo bene, modo male; hodie in honore, cras in contumelia; hodie nobis plaudent, cras in nos ingerent injurias. Aſſueſcamus benedicere Deo de omnibus, & omnia ab illius manu recipere, omnia indiſcriminatim, quin proſperis rebus inflemur, quin vinci ſinamus adverſis; ſi ſolidi fuerimus amici Sponſi, æque modeſti erimus in gloria, ac in ignominia generoſi. *Ibidem.*

PRO COMMUNI MARTYRUM.

MONITUM.

CUM in Chriſtiana Religione maximus Caritatis actus ſit Martyrium, Salvatoris ipſius teſtimonio, Eccleſiæ cordi fuit colere memoriam illorum, qui vitam ſuam, ſanguinemque effuderunt, ut fidem propugnarent, ejuſque veritatem aſſererent. Hinc enim antiquitus primis Eccleſiæ ſæculis Martyrum nomen illis inditum fuit, quaſi teſtibus Religionis illius, quam profitentur, neque alias quæſivit probationes, ut eos in Sanctorum album inferret ſollemni Apotheoſi, quam authenticam fidem, illos pro Jeſu Chriſto mortem oppetiiſſe. Unus hic Martyris titulus effecit, ut in eorum nomine Templa ædificarentur, feſti celebrarentur dies, pro Eccleſiarum Patronis aſſumerentur, & haberentur eorum locorum præſides, ubi paſſi fuiſſent. Vix urbs invenitur, quæ ſibi gloriæ non vertat aliquem peperiſſe, cujus celebritatem non proſequatur, potiſſimum vero virtutum ejuſdem prædicatione, & elogio.

Verum cum ſæpe numero contingat propter inſignem Martyrum multitudinem, quæ numerari non poteſt, ut ille, cujus laudes inſtituendæ ſunt, non ſatis agnoſcatur, & honoretur, niſi eo in loco, ubi ejus memoria colitur; immo etiam omnes lateant mortis ejuſdem circumſtantiæ, ex communi Martyrum petetur, unde repleri valeat ſermo; ſi late verba fiant de firmitate fidei, quæ ſupponenda eſt in Martyre, de operis magnitudine, de tormentis, quibus excruciatus fuit, de promiſſionibus, vel minis ad deterrendam illius conſtantiam adhibitis, quod eſt veritati conſentaneum. In hæc ipſa nos ipſi curam noſtram extendimus in hoc pro communi Martyrum ſupplemento.

PRO COMMUNI MARTYRUM.

Admirabiles effectus Chriſtianæ fortitudinis in martyrio.

MUndus duplici armorum genere, S. Auguſtinus ait, aggreditur Martyres J. C. modo illecebras adhibet ut fallat, modo minas intentat ut eorum labefactet conſtantiam, nos autem ſemper victoriam referemus, dummodo ita ignavi non ſimus, ut velimus eſſe noſtrarum voluptatum mancipia; neque ita timidi, ut alienæ cedamus crudelitati. Uterque fortitudinis effectus eſt: generoſa hæc virtus de malis omnibus, quæ homines maxime reformidant, refert triumphum. Amat periculum; contendit ad Martyrium; non reſpicit quod patitur, ſed quod lucratur; non curat qua iter ingrediatur, dummodo ad finem perveniat; ac tantum abeſt, quod tormenta ſint terroris objectum illis, ut partem etiam coronæ ipſorum conſtituant. Jeſu Chriſti heredes non timent ſupplicia; his etiam recreantur. Mors illis eſt præcox reſurrectio; ſupplicia vero ſunt flores, qui gloriæ fructus pollicentur: *Non terrent crucifixi heredes mortis ſupplicia, ſed paſcunt, & reficiunt maturatæ reſurrectionis lætabunda ſollemnia.* (*S. Cyprian.*) Contemptus, in quo habent Sancti omnes vitæ voluptates, non eſt illis minus glorioſus, quam ille paſſionum, & mortis. Triumphant de doloribus mortis illos ſuperando, & de deliciis fugiendo. Primus eorum motus eſt ad Crucem confugere; occurrere morti; illam citra formidinem intueri, & ferre cum gaudio. *P. Novet de S. Vincentio.*

Quæ res cõſtituat robur, animũ, ac meritum Martyrum.

Ut aliquis Martyr fiat, huic ſufferendum, huic moriendum eſt, & pro cauſſa bona ſufferendum, atque moriendum. Audacia efficit ut ſufferat, metus ut moriatur. Amor Jeſu Chriſti facit, ut pro bona cauſſa ferat, & moriatur: *Ab ipſo enim patientia mea.* (*Pſalm.* 61.) Ecce nervus fortitudinis illius, ecce robur, quod ſpiritum ejus ſuſtinet, ecce ſpiritus, quo animatur ſpiritus illius, ſecundum Oraculum Auraſicani Concilii: *Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Chriſtianorum Dei Caritas facit.* (*Canon.* 17.) Jucundum eſt pro Deo pati, ſed hæc eſt miraculoſa jucunditas, quæ ad unum pertinet Deum, de quo inquit Scriptura, *Saturatum opprobriis* fuiſſe, & opprobria ſibi in exquiſitiſſimas dapes convertiſſe: & ad cæleſtes homines, qui Spiritus ejuſdem viribus animati, ad ſupplicia, & tormenta, tamquam ad quietis ſuæ centrum feruntur. *Idem.*

Rationes, quibus utebatur dæmon, ut ipſam ab incunabulis Eccleſiam jugularent, profuerunt ut mirum in modum proficeret.

Sancti Martyres moriendo, divinæ pro ſe ipſis juſtitiæ ſatisfecerunt, ſimulque per fluxa tormenta ſibi immortale gloriæ pondus adepti ſunt. Sed præter privatam utilitatem, quam ex paſſionibus ſuis perceperunt, effecit Deus, ut inde generale Eccleſiæ ſuæ bonum exiſteret; quippe latius Chriſtianæ Religionis fines prolati fuerunt, ejuſque progreſſus incrementum habuere: nihil enim magis profuit ad Chriſtianorum numerum augendum, quam Martyrum ſanguis. Qua in re Dei Providentiam admirari oportet, quæ uſa eſt iis obicibus, quos dæmon ſanctiſſimis ejuſdem conſiliis objecit, ut celerius illa adimpleret. Infernus Tyrannorum excitat rabiem, ut vagientem in incunabulis Eccleſiam juguletl; ſed illa eo magis confirmatur, & augetur, quo magis furit perſecutio, quia numerus Martyrum in Eccleſia auget præclara veritatis illius teſtimonia; quia quicumque moriuntur pro fide tuenda, hanc efficientius prædicant ſanguinis ſui voce, quam verbis. *Ex ſpecimine Panegyricorum.*

SS. Martyres ſunt fidei & Chriſtianæ Religionis inſtitutores.

Præſtantiſſima qualitas, quæ ſit in Eccleſia, qualitas eſt Martyris: hæc ſimul eſt actus fidei, fortitudinis, & caritatis, & cum S. Cypriano dicere poſſumus, titulum Martyris quodammodo Apoſtoli titulo eſſe præferendum. Ratio autem, quam Sanctus hic Pater affert, hæc eſt, in Chriſtiana fide nihil majus inveniri Caritate, atque actum virtutis hujus præſtantiſſimum eſſe Martyrium, juxta illud Salvatoris: *Majorem caritatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* (1. *Joann.* 15.13.) Idem Sanctus Pater Martyres appellat Principes fidei, & Chriſtianæ Religionis Inſtitutores; quapropter Tertullianus dixit Eccleſiam, *quæ peſecutionibus crevit*, filiorum ſuorum *Martyriis fuiſſe coronatam*. Glorioſa hæc corona, quam a Sponſo ſuo recepit Eccleſia, illis defutura non erat, a quibus erat fundata, videlicet Sanctis Apoſtolis, ac potiſſimum capiti eorum, ſuper quo Mundi Salvator illam ædificaverat: & ſicuti munus præcipuum Apoſtolatus erat perhibere teſtimonium divinitati Jeſu Chriſti, & veritati Evangelii; illi ſatis digne miniſterium ſuum obire non potuiſſent, niſi per ſanguinis ſui effuſionem perhibuiſſent maxime authenticum fidei ſuæ teſtimonium, & niſi præbuiſſent præclariſſimum ſuæ caritatis, & perfectæ ſimilitudinis ſuæ cum Dei Filio documentum. Quod ſi dilectus Diſcipulus vitæ ſuæ finem martyrio non fecit, in cauſſa eſt, quod cum affuerit morti Salvatoris, ſatis ſuperque paſſus fuerat ad pedes Crucis in Calvario. *Ex ſpecimine Panegyricorum.*

Martyres non pro ſe tantum, ſed etiam pro nobis patiuntur.

Cum Martyr patitur, non pro ſe tantum patitur ſed etiam pro fratribus ſuis: martyrium quidem martyrii coronam promeretur, nobiſque inſigne relinquit exemplum videntibus illum pro fide propugnanda ferentem. Diſcimus credere in Jeſum Chriſtum, & noſmet dignos reddere vita æterna per fluxa hæc tormenta, & nihil vereri mortem, quæ certam facit noſtram felicitatem. Fateamur igitur auditores, quid debeamus Sancto huic Martyri. Sanctus hic morti ſe tradidit, ut a morte peccatores liberaret. Hic fuit carnificum victima, ne nos præda fieremus dæmonum; & vita æque ac mors illius nobis ſalutares fuerunt. Martyres poſt mortem ſuam eamdem ſervant poteſtatem, qua viventes pollebant. Ejiciunt dæmones, omnes tyrannidis eorum conatus Jeſu Chriſti virtute propellunt. Etenim Spiritus Sancti gratia, quæ illos viventes animabat adhærens ſacris eorum Lypſanis eadem ſemper miracula operabatur; & quia Jeſum Chriſtum confeſſi ſunt coram hominibus invicta conſtantia, Deus illos dignatur gloria immortali coram Angelis. Quemadmodum milites confidenter alloquuntur Principem, oſtentantes illis vulnera, quibus confoſſi fuerunt in præliis, Martyres manibus ſuis tenentes laniata membra, & amputata capita, eaque offerentes oculis Dei, jus habent ad ea obtinenda, quæ petunt. Itaque cum zelo accedamus ad inſignis hujus Sancti ſepulcrum, ut cum ſacras ejus exuvias venerati fuerimus, & ſacra martyrii ipſius monumenta, poſſimus in partem accedere gloriæ ipſius, & referre theſauros gratiæ, quos ipſorum miniſterio diſpenſat. *Specimen Panegyricorum tom.* 2.

Neſcio quid divinum eſt & miraculoſum libenter pati propter Deum.

Non deeſt voluptas quædam in iis, qui patiuntur propter Deum; ſed voluptas hæc eſt miraculoſa, quæ ad unum pertinet Jeſum Chriſtum, de quo Sancta Scriptura teſtatur, illius ſuaviſſimas epulas opprobria extitiſſe; *ſaturabitur opprobriis*, & ad cæleſtes hos homines, qui animati vi ſpiritus ejus currunt ad cruciatus, atque ſupplicia tanquam ad centrum ſuæ felicitatis. Deus qui propter eſſentiæ ſuæ eminentiam pati non poteſt, permanens in ſingularitate naturæ ſuæ, agere poteſt cum tota ſua omnipotentia; ſed nequit pati. Ejus beatitudo ita longe abeſt a dolore, ut quidquid efficere poteſt, ut dolori aditum præbeat, totum in eo poſitum ſit, ut permittat ejus aſpectu oculis ſuis, & cordi ſuo oblectationem. Homo e contra nihilum eſt indutum impotentia, & infirmitate; pati quidem poteſt, ſed patiendi voluptatem guſtare non poteſt. Cor illius nonniſi amaritudinem invenit; cumque de rebus judicium ferre teneatur ſecundum ſenſum, quem habet, naturali ratione ſibi perſuadere non poteſt, corpus ſuum bene ſe habere in equuleo, quaſi in floribus cubaret; ferreas ungulas, quibus lancinatur, illum palpare; dentes leonum, a quibus voratur, ſibi blandiri; vel ipſum in cruce confixum adeo ſuaviter ac in molli culcitra, penna ſuffultum quieſcere. S. Petrus erat caput Apoſtolorum, primus teſtis divinitatis C. J., ferventiſſimus diſcipulorum illius, & non ideo tamen poterat ſemper guſtare Crucis ignominiam. Zelus illius adhuc nimis cæcus, ut illius cognoſceret pulcritudinem perterritus fuit, ubi primum de eadem incidit ſermo; ſed cupiens abſterrere Dominum ſuum a conſilio ita glorioſo, illum offendit, & ab eo retulit reſponſum ſeveritate plenum. *Vade retro, Satana, non ſapit ea quæ Dei ſunt.* (*Matth.* 16.) Quamobrem dico, ut quis patiatur, ſatis eſt hominem eſſe; ſed ut patiendi voluptatem guſtet, requiri, ut aliquid ſit ſuper hominem, & habeat cor divinum. Patientiæ exercitium humanum eſt, patientiæ vero guſtus divinus eſt.

Qui multum amat,

Pati, infirmitas eſt naturæ communis; ſed cum voluptate pa-